This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Harvard College Library.

FROM THE BEQUEST OF

FRANCIS B. HAYES

(Class of 1839.)

This fund is $10,000 and its income is to be used
"For the purchase of books for the Library."
Mr. Hayes died in 1884.

31 Aug., 1896.

LINGUARUM
Vett. SEPTENTRIONALIUM
THESAURI
GRAMMATICO-CRITICI,
& ARCHÆOLOGICI,

Auctore *GEORGIO HICKESIO*,

Conſpectus Brevis

PER

GUL. WOTTONUM, S.T.B.

Cui, ab Antiquæ Literaturæ Septentrionalis Cultore, adjectæ aliquot NOTÆ accedunt;
Cum APPENDICE ad Notas.

LONDINI:

Typis *Gul. Bowyer*, ſumptibus RICARDI SARE, Bibliopolæ in Porta Auſtrali Hoſpitii *Grayenſis*, apud quem proſtat hic liber venalis. M DCC VIII.

8252.8

[illegible] COLLEGE
[illegible] 1896
LIBRARY.

Hayes fund.

ILLUSTRISSIMO VIRO

JACOBO BRIDGES,

JACOBI Baronis de CHANDOIS
Filio natu Maximo,

Exercituum Britannicorum in
partibus tranſmarinis
QUÆSTORI SUMMO,

GUL. WOTTONUS S.P.D.

CONſpectum tibi offero, Vir Illuſtriſſime, Theſauri Linguarum Septentrionalium Hickeſiani, *cui nihil in*

hoc Literaturæ genere ſimile, nihil ſecundum hactenus vidit orbis Eruditus. Theſauri inquam, in quo Arcana intimæ Antiquitatis, vel ad nos, vel ad Gentes nobiliſſimas quæ nobiſcum jam fœderatæ imminentem Tyrannidem juſto propulſare conantur Bello, pertinentia, ferme omnia reſerantur. Theſauri, cujus ope, Heroica Facta majorum noſtrorum, Linguis Patriis jam diu abſoletis, conſcripta dicam an occultata, jam innoteſcunt, ſeriſque imitanda poſteris proponuntur. Theſauri denique, qui Leges, qui Inſtituta, qui Mores omnes Patrios vel in ſe continet, vel in Libris hactenus vix aut ne vix quidem in-

tellectus contenta, illuſtrare queat. Incomparabilis autem hic Theſaurus, licet aliquot abhinc annis editus, mole tamen hactenus ſua velut obrutus jacuit, adeò ut Noſtratium perpauci, Exterorum fere nulli, quæ quantæque Gazæ in illo deliteſcunt, ſciverunt. Imo a teipſo, qui dum per otia licuerit, literas amœniores indefeſſè colueris, Gratiam ut ſpero haud mediocrem iniverim, quod ea Tibi ſubſecivis Horis inſpicienda tradiderim, quæ aliter per tot & tanta, quæ tam glorioſè ſuſtines, negotia, vix per Tranſennam intueri tibi licuiſſet. Sed non tu ſolus es, Vir Ampliſſime, a quo, niſi vehementer

fallor, Gratiæ mihi ſunt expectandæ. Illuſtriſſimæ enim Gentes Germanicæ, quarum Antiquitatibus eruendis Theſaurus hic Linguarum & Gothicarum & Teutonicarum, maximo futurus erit uſui, Gratias mihì perhibebunt maximas, quod illis indicaverim unde Linguæ ſuæ priſcæ Elementa ſibi hucuſque tantùm non incognita impoſterùm ediſcant. Gaudebunt quoque quod Nomen tuum huic Libello præfixerim. Germanicæ enim Legiones, quæ ſub ſignis militant Britannicis, Te tanquam juſtum, tanquam probum Virum jamdiu ſuſpexerunt, Nunc Te ut literatiſſimum, Literarumque amantiſſimum, etiam

earum

earum, quæ ſibimetipſis futuræ ſunt utiliſſimæ, à Popularibus tuis, qui Te penitùs norunt, prædicatum videbunt. Hoc tu forſan exiſtimabis, Vir Ampliſſime, tibi fore haud uſquequaque inglorium, mihi ſane maximè glorioſum ſemper Ego duxero. Quamvis ut verum fatear, Cauſſæ his omnibus graviores, me ad hoc faciendum inſtigarunt, nempe ut hac Epiſtolâ omnibus teſtatum facerem, Te meas aliquid putaviſſe Nugas, Meque Beneficiorum, quæ in me prorſus immerentem contuliſti, non fuiſſe immemorem. Vale.

Dabam VIII. Kal. Nov. 1707.

Alphabetum Saxonicum.

Fig.	A	B	C	D	E	F	G	H	I	K	L	M	N	O	P
Pot.	A	B	C	D	E	F	G	H	I	K	L	M	N	O	P
	R	S	T	Ð	U	Ƿ	X	Y	Z						
	R	S	T	TH	U	W	X	Y	Z						

Fig.	a	b	c	ð	e	ꝼ	ᵹ	h	i	k	l	m	n	o	p
Pot.	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p
	q	ꞃ	ꞅ	ꞇ	þ	ð	u	ƿ	x	ẏ	z				
	q	r	ſ	t	th		u	w	x	y	z.				

Teſtamentum Æthelfledæ *Saxonicè*, *Not.* p. 13.

Teſtam. Ælfledæ *Saxonicè*, *Not.* p. 26.

Carta R. Eadgari *Latinè*, *Not.* p. 39.

Locorum, qui in Teſtamm. *Æthelfledæ, &* *Ælfledæ memorantur, topograph. deſcriptiones*, *Not.* p. 63.

Symbolum Athanaſii *Sax.* *Not.* p. 77.

Notæ in Anglo-Saxonum nummos, *poſt* p. 85.

ERRAT. Pag. 42. l. penult. leg. *ſomere* vel *ſemære*. *Not.* p. 12. l. 16. leg. *Latina utriuſque*. P. 21. l. 7. leg. *fruenda*. P. 23. l. 3. dele *à*.

LINGUA-

LINGUARUM Vett, Septentrionalium THESAURUS GRAMMATICO-CRITICUS & ARCHÆOLOGICUS.

Auctore GEORGIO HICKESIO S.T.P. Oxoniæ. MDCCV. Fol. duobus Voluminibus.

VArium hoc eſt multiplexque Opus, in plures diviſum partes, easque adeo invicem diſcrepantes, ut de omnibus aliquid neceſſariò ſit dicendum, ſi totius Operis vel aliqualem Ideam animo concipere velimus. Theſaurus

hic inſcribitur Celſiſſimo Principi GEORGIO Daniæ, Norvegiæ, &c. Principi Hæreditario, Auguſtiſſimæ Reginæ noſtræ Conjugi, quem utpote Antiquis illis Regibus, qui ab *Odino* Magno illo Septentrionis Heroe originem ducunt, prognatum, hæ Linguæ ſponte Patronum aſciſcere optarint. Petrus ſane *Reſenius*, annis abhinc XL, cum *Eddam Iſlandorum*, nobiliſſimum Gentium Borealium monumentum, Hafniæ edidiſſet, inſignem *Eddæ* Sæmundi partem, *Haavamaal* dictam, huic noſtro Principi inſcripſit: cujus rectè ſecutus exemplum magnus harum Literarum apud nos Inſtaurator eundem Theſauro ſuo Patronum elegerit, quem Danorum Antiquarii jam olim ſuis ſtudiis Mecænatem futurum exoptabant. Hæc autem Dedicatio non eſt nuda enumeratio Virtutum Principis Celſiſſimi, ſed de Linguarum Septentrionalium cum noſtra cognatione, & Populorum, quibus noſtram debemus Linguam, origine,

multa

multa & præclara Auctor noſter diſſerit.

Dedicationem ſequitur prolixa de hoc Opere Præfatio, in qua quid Lectori ſit expectandum, quidque Auctor præſtiterit, certiores nos facit. In præfatione quam priori Grammaticæ Anglo-Saxonicæ Editioni adnexuit, multa de Dignitate ſtudiorum Grammaticalium, quæ ſummi Viri colere non ſunt dedignati, diſputavit. Iſta hic non repetit, ſed ad alia quæ hoc Opus propriè ſpectant, ſe potiùs convertit. Viros Clariſſimos, quorum opera in hoc Theſauro concinnando uſus eſt, quamplurimos nominat; inter quos præcipui ſunt, *Gulielmus Nicolſonius* Epiſcopus Carliolenſis Linguarum Borealium, veteriſque Franco-Theotiſcæ, peritiſſimus. Gulielmus *Elſtobius*, qui Homiliam *Lupi* Epiſcopi Anglo-Saxonicam, de quâ inferiùs ſumus dicturi, Latinam reddidit, notiſque illuſtravit. Gulielmus *Hopkinſius*, qui Com-

mentarium de Sanctis in Anglia ſepultis Saxonicum, Latinè verſum notis adornavit. Edmundus *Gibſonus*, ob Chronici Saxonici Editionem elegantiſſimam jamdudum Orbi Literato notiſſimus, qui Ethelberhti I: Hlotharii & Eadrici Cantwarorum Regum Leges Saxonicas, a Johanne de *Laet*, viro in hiſce Litteris exercitatiſſimo, Latinè redditos cum auctore noſtro communicavit. Edvardus *Thwateſius*, qui accuratiſſimam Heptateuchi Saxonici Editionem aliquot abhinc annis edidit, & qui, ut hic Theſaurus nitidus nunc prodiret, conſtanti ſtudio & labore ſchedas, & imprimendas & impreſſas, reviſendo & corrigendo, Typographos, Chalcographoſque jugiter inſpiciendo, operam adhibuit maximè diligentem. Exteros quoque, præſertim Suecos, Ionam Nicolai Salanum, nuper vita functum, & Johannem *Perinſkioldum*, Virum Arctoarum literarum & Antiquitatum callentiſſimum, cum honore nominat. Hiſce

Hiſce præmiſſis, ad alia in quibus ſe fortè lapſum in opere prolixiſſimo fuiſſe exiſtimat, tranſit. Speciminis loco hoc adjungam. Litera in *Codice Argenteo*, qua TH deſignatur, ita depingitur ᛉ. hanc ex jugatis TH, ꝥ, deducit noſter. Thwateſius illam a duplici dd hoc modo connexam ꝺꝺ derivat; quoniam Nomina ſubſtantiva Mæſo-Gothica in ᛉ deſinentia in primo Caſu, deſinunt in *dis* in Genitivo, ut *Witoth* Lex, *Witodis* Legis, *Liubath* Lux, *Liubadis* Lucis. Ita ↀ Romanum a duobus ƆC, & Ξ Græcum a ζ oriri credit. Hoc autem licet maximè ſit veriſimile, veterem tamen ſuam conjecturam, ſpecimine ſcripturæ *Cod. Argentei* ſibi ex Suecia tranſmiſſo, quod æri inciſum exhibet, probare conatur Hickeſius.

Poſt Lapſus ſuos, & Errata quædam recenſita, ad alia tranſit, quibus, quæ antea in *Grammaticis* & *Diſſertatione de harum Linguarum Præſtantia*, ſtabiliverat, confirmat:

De quibus, cùm poſtea ſit agendum, hîc non eſt dicendi locus.

Errores quoque Virorum Eruditorum, qui harum Linguarum ſcientia deſtituti, graviter ſunt hallucinati, recenſet. Unum hîc notare libet, Johannis *Harduini* Editoris Pliniani celeberrimi. Exſtat inter alias Homilia Elfrici Cantwarenſis (ut creditur) Archiepiſcopi, Anglo-Saxonica, *de Euchariſtia*, in quâ fidem illius Ætatis hominum a Dogmatibus Eccleſiæ Romanæ diverſiſſimam dilucidè exponit: De illa ita Harduinus (*Chron. Vet. Teſtam.* pag. 34. Edit. Germanicæ.) "Saxonica, quæ dun-
" taxat in quibuſdam dubiæ fidei
" monumentis exſtat, nihil aliud
" quam Germanica illius ævi eſt,
" quo ſunt hæc exarata; characte-
" ribus pro arbitrio ab Artifice exco-
" gitatis; diverſis certè ab his qui-
" bus OFFA REX ſuos olim nummos
" inſcripſit: qui ſunt omninò La-
" tini: quales ii, quibus id Nomen

" hîc

" hîc exhibemus. Ejus autem Lin-
" guæ eſt Saxonica Ælfrici nomine
" Homilia de Euchariſtiâ, *Ratramni*
" ſenſu, ſtilo, atque ipſo ſubinde
" ſermone conſcripta, hoc eſt, hæ-
" retico. At Ælfricus non Angli-
" cum, Saxonicumve nomen eſt, ſed
" Hæbræum; *Deus Redemtor.* Nam
" אל *Deus* eſt; quod nomen quo-
" niam nihil intereſt, utrum *Æl* vel
" *Al* ſcribatur, ideo & *Ælfricus* &
" *Alfricus* in Libris ſcribitur. פרק
" *Redimere* eſt, ex Vulgato Interprete
" Pſal. cxxxv. 24. quem tùm ob pe-
" ritiam viri ſingularem, tùm aliis
" de Cauſſis talium nominum Archi-
" tecti ſequuntur. Hucuſque *Har-*
" *duinus.* Hæc cùm ſingularia ſint
maximéque prodigioſa exſcripſi; in
quibus quot fermè vocabula, tot Er-
rores craſſiſſimi, quos ſigillatim caſti-
gat, & refellit *Hickeſius.* De quibus
tamen eò minus eſt mirandum, quòd
idem Harduinus, omnes fermè Au-
ctores Latinos Veteres, quatuor vel

 quinque

quinque forſan demtis, quos in manibus nunc terunt Eruditi, a falſariis fuiſſe confectos, in *Chronologia ſua Herodiadum* (pag. 60.) audacter affirmat.

Caſtigato Harduino, Mabillonii *Regulas* quibus Diplomata ſuſpecta defendere laborat, in egregio ſuo *de Re Diplomatica* opere, examinat *Hickeſius*, & de Diplomatis Antiquis præclara multa producit, de quibus pluribus nunc non eſt dicendum. Hactenus de Præfatione generali. Illam ſequitur *Epiſtola* ſeu Præfatio ſpecialis Grammaticæ Anglo-Saxonicæ præfixa, in qua præter alia egregia, ad *Topographiam Anglo-Saxonicam*, præſertim *Agri Wigornienſis* (quem *Pagum Wicciorum* vocat) Methodum qua Libri in Lingg. Arctois exarati legendi ſint, docet; quam tantum non integram hic exſcribere non pigebit. Grammaticæ Anglo-Saxonieæ Cap. priora XVII ſedulò ſunt evolvenda, quòd in iis omnis partium

titum quas vocant Orationis ſcientia luculenter & facillimè exponitur. Hiſce ritè intellectis, Evangelia Anglo-Saxonica a *Mareſcallo* noſtro Dordrechti olim edita, ſunt pervolvenda; & poſt ea Anglo-Saxonicum Pſalterium a Johanne Henrici F. *Spelmanno* editum, cum Heptateucho Anglo-Saxonico Thwaiteſii; indè ad Ælfrici Homiliam Paſchalem, cum ejuſdem Libro de V. & N. Teſtamento eſt tranſeundum: poſtea Verſio Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Gentis Anglorum a Beda conſcriptæ, ab Ælfredo Rege facta, quam *Abrah. Wheloeus* Cantabrigiæ olim edidit, eſt perlegenda: Hâc, ſi noſtro credas, nunquam ipſe Cæſar, Ciceróve in mediocri & æquabili dicendi genere, quicquam perfectius reliquit. Hiſce evolutis, Boëthii *de Conſolatione Philoſophiæ* Liber ab eodem Ælfredo Rege Anglo-Saxonicè verſus, (Oxoniæ nuper accuratiſſimè editus) & poſteà Canones Legum Eccleſiaſticarum *Spelmannianæ*,

cum

cum Lambardi Ἀρχαιονομία, nullo negotio perlegentur.

Poſt hæc Anglo-Saxonica ad Mæſo-Gothica Φιλαρχαῖον ſuum tranſire hortatur Hickeſius; quorum Inſtitutionibus Grammaticis, quæ cum Anglo-Saxonicis conjuncta ſunt in hoc Theſauro, ritè perceptis, Fragmenta Evangeliorum Mæſo-Gothicorum Juniana, (quæ ſola iſtius Linguæ Monumenta ſuperſunt) facillimè poſſunt intelligi. Ab iis ad *Iſlandica*, ſeu *Scando-Gothica* eſt tranſeundum, abſque quibus Gothica medii ævi Monumenta percipi nequeunt; in illis, autem, poſt Grammaticam Iſlandicam, integra quædam pars Bibliorum Iſlandicorum eſt perlegenda, poſtquam, *Sagæ* vel *Hiſtoriolæ* quædam Populorum Septentrionalium, quarum non paucas & Dani & Sueci nuper typis ediderunt, cum magna illa Snorronis Sturleſonii Hiſtoria *Heims Kringla* dicta, quam gemina verſione illuſtratam nuper edidit Cl.

Pering-

Peringſkioldus, Intellectu erunt faciles: Hiſce addamus *Eddam Iſlandorum* Reſenianam, quâ Mythologia tota Borealis comprehenditur. Quibus omnibus accuratè perlectis, omnia in Monumentis Borealibus plana erunt & facilia. Sed a *Præfationibus* ad *Theſaurum* jam tandem eſt procedendum.

Nobilis hic *Theſaurus* duabus conſtat partibus. Prima continet Grammaticas tres, cum Diſſertatione de præſtantia & uſu Linguarum Borealium, & altera Diſſertatione Cl. Viri *Andreæ Fontaine* Eq. Aur. de Numiſmatis Anglo-Saxonicis. Secunda continet Catalogum Librorum Anglo-Saxonicorum ab *Humfredo Wanleio* confectum.

Grammatica prima eſt Linguarum Anglo-Saxonicæ & Mæſo-Gothicæ; iſtam breviorem edidit Noſter Oxoniæ A. D. 1689, in 4to. Omnia, quæ ad harum Linguarum Inſtitutionem neceſſaria prius edidit, nunc

recuſa

recuſa habemus multò auctiora. Quæ prioribus xvii Capitibus continentur Tyronibus evolvenda jubet; quæ autem ſequuntur, in quibus Linguæ Anglo-Saxonicæ penetralia reſerat, illis vix, aut ne vix quidem intelligenda monet. Linguæ dico Anglo-Saxonicæ; nam quod ad Mæſo-Gothicam (prout illam olim noſter vocabat) pertinet, omnia quæ de illa ſcitu ſunt neceſſaria in prioribus xvi Cap. fusè ſunt explicata. *Codicem* autem *Argenteum*, ex quo pretioſa illa Fragmina Linguæ Teutonum antiquiſſimæ edidit Franciſcus Junius ſub Ulphilæ Gothorum in Mæſia Antiſtitis nomine, Ulphilæ abjudicat *Hickeſius*; Teutonemque aliquem Ulphilæ Ætate vel æqualem certè, vel forſan ſuperiorem Verſionis iſtius Auctorem eſſe judicat. Rationes quibus nititur ſunt hæ: I. Ad Monaſterium quoddam Germanicum pertinebat olim Codex hic Argenteus. II. Nulla in hac Verſione Hæreſeos Ari-

ſianæ nota. III. Literæ hujus Codicis & Figurâ, & Ordine, & Numero, & Notarum Numeralium uſu, a Runis Scandinaviæ, ex quâ Gothi in Mæſiam irruperunt, longê ſunt diverſæ. IV. Codex iſte convenit ſæpiſſimè cum Codice Bezæ Cantabrigienſi, qui ad Latinam Eccleſiam pertinebat. V. Literæ omnes, præter ⊖ & ⊕ (*Wh* & *Th*) cum Græcis Latiniſque Litteris Codicis *Actorum Apoſtolorum* Laudenſis, qui Oxonii aſſervatur, apprimè conſentiunt. Iſte autem Codex ad Germanicam quandam Bibliothecam olim pertinebat Sed pergamus.

Quæ ſequuntur omnia nova & curioſa. Cap. xix. pro tribus linguæ Saxonicæ Epochis totidem dialectos cenſet ſtatuendas. Prima eſt, qua Saxones utebantur a primo in Angliam introitu ad Danorum irruptionem per cccxxx Annos. Secunda eſt Dano-Saxonica, quæ a Danorum introitu ad Normannorum in Angliam

gliam adventum erat uſurpata. Tertia, quam locuti ſunt Majores noſtri ab ingreſſu Normannorum ad Henrici II. Tempora. Dialecti primæ, quam Britanno-Saxonicam appellat Hickeſius, nulla ferè ſuperſunt Monimenta, præter veri Cædmonis Fragmentulum in Regia Verſione Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Ven. Bedæ; & Harmoniam forſan IV Evangeliorum *Cottonianam*, quæ puritate vetuſtiſſimæ Linguæ ad Codicem Argenteum proximè accedit. Sed illam Theotiſcam eſſe credit Noſter.

In ſecunda Dialecto plurima habemus conſcripta volumina; inter quæ præcipua ſunt Evangeliorum binæ Verſiones interlineares Verſionis *Vulg. Lat.* quas in ſuo librorum Septentrionalium catalogo accuratiſſime deſcripſit *Humph. Wanleyus*, p. 81, 82. & p. 250, 251, 252. ubi, quæ ſe delectabunt, multa reperiet lector literaturæ Saxonicæ ſtudioſus. Differt hæc Dialectus a puriori Saxonica, quæ Ælfredus

tius Rex, Ælfricus, Lupus, aliique uſi ſunt; tum Vocabulis, quæ plurima ſunt vel Cimbrica vel Theotiſca, tum Orthographiâ, & Contemptu ferè omnimodo Regularum Grammaticalium, utpote a Danis & Nortmannis profecta, qui rudes prorſus & illiterati, Piraticam plerunque exercentes, Linguam Anglo-Saxonicam contaminârunt. Variationum harum innumera profert Exempla Hickeſius Cap. xx. ex quibus quantum detrimenti Linguæ Anglo-Saxonicæ Danorum adventus attulerit, luculenter apparet.

In hac Dialecto, præter multa in Oratione ſoluta conſcripta, plurima quoque habemus Poëtica. Hæc ut melius intelligantur, de Dialecto Poëtica Dano-Saxonum multa diſſerit Noſter Cap. xxi. Ubi poëticas multas locutiones, & permulta vocabula Cimbricis Poëtis familiaria profert & explicat (quamplurima enim Poëtarum Scando-Gothorum extant Poëmata) & illa Poëtis noſtris

Dano-

Dano-Saxonibus Veteribus fuiſſe uſurpata demonſtrat; præſertim a nobili illo Geneſeos Paraphraſte, quem ſub nomine *Cædmonis* illius, qui a Beda memoratur, olim Amſtelædami edidit, maximum illud Arctoæ Literaturæ decus Franciſcus *Junius*: quam Paraphraſin a Dano-Saxone quodam ſcriptam fuiſſe affirmat Noſter; nec a Cimbris tantum, ſed a Francis quoque locutiones & verba innumera mutuati ſunt Poëtæ noſtri veteres, quorum Exempla quamplurima congeſſit Auctor noſter diligentiſſimus, qui juſto Libro, licet Caput tantum ſit majoris Operis, hoc Argumentum eſt proſecutus.

A Dialecto *Dano-Saxonica* ad *Semi-Saxonicam* & *Nortmanno-Saxonicam* tranſit Hickeſius; de hiſce agit Cap. xxii. Prior corruptio fuit Linguæ Anglo-Saxonicæ purioris, qua Auſtrales & Occidentales Saxones uſi ſunt: ex qua ſic vitiata partim barbarie & ignorantia Incolarum, qui

Danorum

Danorum incurſionibus fatigati, ſedibuſque ſæpe expulſi Literas non excoluerunt, partimque Danorum loquela ſenſim inter eos irrepente, noſtra Lingua (quam Anglicam vocamus) effluxit. Mutationes in illa Dialecto, & quoad Scriptionem, & quoad Verba, iſtas præſertim ex quibus noſtræ Linguæ Originem & Progreſſum videamus, diligentiſſimè notat. Hæc Semi-Saxonica Dialectus apud Auſtrales Saxones ut plurimùm invaluit, Dano-Saxonica autem Dialectus (quam vocat) apud Boreales; apud quos Dani Sedes ſuas fixerunt; cùm in Occidentalibus & Auſtralibus plagis, non niſi piraticam ante *Canuti* R. tempora exercebant.

Hâc oblatâ occaſione de Mutatione Manûs Saxonicæ in Gallicam fusè agit: & quibus gradibus ea mutatio, ab *Ælfredi* Regis ex Italia reducis ævo, ad Henrici (*Bello-Clerici* dicti) tempora, ſub quo Saxonica Manus fere tota evanuit, peracta fuit, nobi-

liſſimis ſpeciminibus Chartarum, aliorumque Librorum æri elegantiſſimè inciſis, ob oculos ponit. Inter hæc nobile conſpicitur Κειμήλιον Aureum, *Ælfredi* R. juſſu fabricatum, & arte encauſticâ adornatum; quod accurate ſatis delineatum, cum ipſius *Hickeſii* deſcriptione abbreviatâ, ad te mitto, *Vir Clariſſime*, ut eo meliùs intelligas, quales & Artes & Artifices in pretio olim apud Anglo-Saxones noſtros Majores fuerunt.

Figura prima faciem Gemmæ ſuperiorem repreſentat. In hac primò apparet Limbus totus aureus, retiformi & foliato ſuo Artificio notabilis, qui a Perimetro protenditur ad Inſcriptos Characteres, qui præpoſita Cruce, ex auro formati, obliquè intumeſcunt, & tam prominentiâ, quàm figurâ, ſunt ſpectabiles: Intra Characteres conſpicitur Lamella (quam Pyramidalem, vel potiùs Coniformem eſſe judicat Hickeſius) aurea, duabus diſtinctâ Lineis, quarum quæ Characte-



p. 18




Fig. 2.

Characteribus propior ſimplex, interior punctata ſive laciniosa. Intra Lamellam hanc eſt area plana, quæ Chryſtallo obducitur, per quam Hominem ſevero vultu repreſentat, Caput in dextram parùm inclinantem, brachiis nudum, & ambabus manibus ſceptra tenentem: Sceptra hæc, Ventrem verſus, in unum circulariter coëunt, ſupra autem Humeros in figuras deſinunt, Lilii-formes: Iconis Manubrium Belluâ quadam Marinâ ornatur, ex cujus Rictu exit Tubus, in cujus Ore Paxillulus aureus figitur, cujus ope ni fallor commodè ſuſpendi potuit. Lineæ autem omnes, cum Punctis, quæ albæ in Ectypo hoc apparent, ſunt aureæ; cætera arte Encauſticâ, Vitro vel Chryſtallo operiuntur.

Figura ſecunda, quâ facies Gemmæ averſa delineatur, repreſentat Lilium in Laminâ Aureâ affabre deſcriptum; ex radice emergens Caulis, emittit duo Folia; Flores ſupre-

 mam

-nam pertingunt Laminam, quæ Lamina Foliolis aureis Limbi undique conſtringitur. In prona Manubrii parte deſideratur mandibula inferior Belluæ Marinæ, pro quâ cernitur convexa Figura ſquammis obtecta.

Inſcriptio autem eſt in inferiori Lamina faciei ſuperioris, inter Limbum extimum, & interiorem, quò Icon Hominis Sceptrum tenentis conſtringitur: Literæ hoc modo inter ſe junguntur.

AELFRED MEC HEHT GEWYRCAN.

ALFRED MEC HEIT GEWTRCAN.

Ælfredus me juſſit fabricari.

Literæ in Ectypo majores paullò ſunt quàm in Gemmâ, ut eſſent magis conſpicuæ.

 Longi-

Longitudo ab A ad B eſt Pollicum 2, 44.

Latitudo a C ad D eſt Pollicum 1, 20.

Pondus eſt XIII circiter Drachmarum, & deducta Chryſtallo, in qua Homo delineatur, Unciæ plus minus.

Specimina verò Manus iſtius Gallo-Saxonicæ, ad Chartas & Libros ſuppoſititios a veris diſtinguendos multùm valent; & ad veram Ætatem MSSorum Codd. ſub iſta ſecula deſcriptorum determinandam.

A Manu Nortmanno-Saxonica ad Dialectum ultimam illam Linguæ, qua nunc utimur, Parentem tranſit *Hickeſius*; ejuſque proprium Characterem diligentiſſimè delineat. Vocabulorum Phraſiumque Nortmannicarum & Gallo-Latinarum, quas Nortmanni huc invexerunt, magnum recenſet numerum, utque illæ noſtræ Linguæ erant inſitæ oſtendit; Hac oblata occaſione de Linguæ Gallicæ priſco ſtatu jam ante DC Annos multa

ſcitu digniſſima profert, Gallicis Antiquariis ob *Lingg.* Septentrionalium ignorantiam hucuſque fere incognita. Quæ ut melius intelligantur Chartas originales Semi-Saxonicas & Nortmanno-Saxonicas hucuſque ineditas, cum excerptis ex Scriptoribus coætaneis in Bibliothecis noſtris hactenus latentibus, aliquam-multas producit; ut hoc quoque Caput integer de hac Re Tractatus cenſeri debeat. Coronidis loco adjungit ſpecimina plurima Æri quoque inciſa manûs veteris Saxonicæ ante *Ælfredum* Regem uſitatæ, cum chartis veteribus Regum Merciorum & Huicciorum hucuſque ineditis, & Bulla Nicolai II. Papæ *Giſoni* Epiſcopo Wellenſi conceſſa, quam in Bullario fruſtra quæras. Bulla hæc ex Autographo Eccleſiæ Cath. *Wellenſis* Æri inciſa exhibetur, pulcherrimæque veteris manûs Italicæ ſpecimen eſt perquam elegans.

Dialectis Linguæ Anglo-Saxonicæ jam explicatis, ad Poëſin Saxonicam

accedit

accedit Auctor: Cujus cum plura eaque præclara habemus Monumenta, de ea, quæ aut qualis fuerit judicare poſſumus: Et ne perperam de ea ſentiamus, Capp. duobus, xxiii. & xxiv. quæ ſeorſum excuſa juſtum volumen conficerent, Argumentum hoc pro dignitate pertractavit. Qualis autem fuerit Majorum noſtrorum Poëſis, facile intelligamus, ſi ad Regulas haſce rite attendamus. I. Rhythmum ſive Pedum Quantitatem, ſyllabas nempe breves, & longas, certâ Lege variatas, religiosè obſervabant. Hoc nobis eſt eò obſcurius, quòd juſtas omnium ſyllabarum quantitates apud illos ignoramus. Verſus Tetraſyllabi, Pentaſyllabi, & Hexaſyllabi ut plurimùm fuere. II. Pſeudo-Rhythmum recentiorum, quæ in Verſibus ὁμοιοτελεύτοις conſiſtit, quo nos cum Gallis, Italis cæteriſque ferè omnibus Nationibus Europæis in præſenti utimur, Saxones, Dani veteres, omneſque Scando-Gothi, ut ex Poëmatibus eo-

 rum

ſuin adhuc exſtantibus, adhuc apparet, prorſus neglexerunt. III. Iſta Metri obſervatio, ſtylum illorum Poëticum valdè implexum reddit, dum iſtius gratiâ, Subſtantiva ab Adjectivis, & Verba a Nominibus quæ regunt, procul ſeparaverint; Vocabula quoque Dano-Saxones à communi uſu abhorrentia in Carminibus adhibuerunt: Stylus etiam non rarò Dithyrambicus, a Dictione naturali, immo etiam Oratoria multum recedens. Horum omnium Exempla luculenta ex Pſeudo-Cædmone ex Paraphraſi Boëthii poëticâ, & ex Harmonia Evangeliorum Cottoniana, nondum edita, producit *Hickeſius*, eaque cum Dialogo Scando-Gothico, poëticè ſcripto, & in Hervaræ Hiſtoria ab Olao Verelio editâ, aſſervato confert. Exemplum breve Poëſeos Saxonicæ, idque iſtius noſtræ Linguæ monumentum vetuſtiſſimum hîc proferam.

Carmen

Carmen Cædmonis Monachi Whitbeyenſis, ab Ælfredo R. Verſioni Anglo-Saxonicæ Hiſtoriæ Eccleſiæ Ven. Bedæ. lib. 4. c. 4. ad fidem libri impreſſi inſertum. Sed in MS. Codice Reverendi admodum Patris *Johannis* Epiſcopi Elienſis longe aliter ac rectiùs ſe habet, ut videre eſt in *Antiquæ literaturæ Septentr. libro altero*, ſeu *Humph. Wanleyi* librorum vett. Septentr. exactiſſimo Catalogo Hiſtorico-critico. p. 287. *b.*

Nu we ſceolon herigean.
Heofon rices weard.
Metodes mihte.
And his mode gethanc.
Weorc wulder fæder.
Swa he wundra gehwæs
Ece drihten ord onſteald.
He æreſt ſcop.
* *Eorthan bearnum.*
Heofon † *to rofe*

* Elda. MS. † Til. MS.

Halig

Halig ſcippend.
Tha middangeard.
Moncynnes weard
Ece drihten æftertæde
Firum foldan
Frea ælmihtig.

Quæ Latinè reddita ſic ſonant.

"Nunc Regni cæleſtis Præfectum,
" Domini Potentiam, Mentiſque
" ſuæ Decretum, & facta Patris
" Gloriæ celebrabimus. Qui mi-
" rabilis exiſtens, ab initio ſempi-
" ternus Dominus manſit. Ille Fi-
" liis Hominum [*Terræ*] ſanctum
" cœlum fabricans pro Tecto prius
" fecit. Deinde iſte humani Ge-
" neris Protector, Dominus æter-
" nus, Deuſque omnipotens Ter-
" ram pro habitatculo hominibus
" conſtituit.

Hiſce præſtructis, Regulas complures adfert Noſter, quibus Poëſis Anglo-

Anglo-Saxonica ab iis qui ſolutam iſtius Linguæ Orationem probè callent, perſpicuè intelligatur: quibus inſignia quædam Poëmata Dano-Saxonica & Nortmanno-Saxonica integra, & aliorum inſignia ſpecimina adnectit. Horum primum eſt Calendarium Poëticum Latine verſum, in quo hoc eſt notatu dignum, quòd præter *Gregorium* Papam, & *Auguſtinum* Monachum, quos ut Apoſtolos ſemper venerata eſt Eccleſia Anglo-Saxonica, Sanctumque *Benedictum*, cujus Ordo apud Anglos multùm floruit, nullos Sanctos memorat iſtud Menologium, juſſu Anglo-Saxonis cujuſdam Epiſcopi, vel Regis, qui poſt Heptarchiam diſſolutam regnavit, exaratum, præter V. *Mariam*, ſanctoſque Apoſtolos, quorum Feſta Eccleſia Anglicana nunc celebrat. Nec ulla V. *Mariæ* Epitheta tribuuntur, niſi quæ Eccleſia ſemper, illa ipſa in Hymno ſuo Θεοτόκῳ prædicente, in puriſſimis ſæculis ipſi tribuebat.

buebat.] Notas in hoc Menologium eruditiſſimas addidit *Hickeſius*, in quibus de Menſium nominibus, & diviſionibus apud Boreales populos multa diſſerit, & de eorum Feſtis, præſertim *Iölenſibus*, de quibus inter Antiquarios Septentrionales magna Lis eſt. Gentilia illa fuiſſe, inque eorum locum *Natalitia Chriſti* ſucceſſiſſe certiſſimum. Sed de Vocis origine diſceptatur. Rejectis itaque *Bedæ, Pontani, Verelii, Wormii*, aliorumque ſententiis, ſuam adfert: IOL, (unde Scoticum *Yule* pro *Natalitiis J. Chriſti*) Feſtum κατ' ἐξοχὴν dictum fuiſſe affirmat, ab *Ol Convivium* (unde *Cerevisia* quam nos *Ale* vocamus, utpote potus in Feſtis ſollemnis) & *I* intenſivo, cui *Ge* Saxonicum reſpondet: ut ita Iöl Scando-Gothicum, & *Geol* Saxonicum ſit maximus, & celeberrimus totius Anni feſtus.

Huic egregio Poëſeos Dano-Saxonicæ ſpecimini, quod Caput claudit xxiii, alia Semi-Saxonicæ, & Normanno-

manno-Saxonicæ Poëſeos ſpecimina addit in Cap. xxiv. quod ultimum eſt Grammaticæ Anglo-Saxonicæ. In illis Rhythmum videamus hodiernum, qui verſibus ὁμοιοτελεύτοις terminatur. Variationes Nominum & Verborum, & ſyllabica Augmenta Linguæ veteris Anglo-Saxonicæ, Semi-Saxones omiſerunt; quantitatemque ſyllabarum antiquis Poëtis adeò æſtimatam, aut ignorârunt, aut neglexerunt. Primum quod adducit Specimen Semi-Saxonicum, deſumitur ex Carmine CXCI ſtrophis conſtante, quarum ſingulæ quatuor Verſibus conficiuntur, ex quibus ſecundus & quartus Clauſulis, quas *Rimas* nos vocamus, ſibi invicem reſpondent: En unam, exempli gratiâ,

Sende god biforen him Man
The while he mai to hevene,
For betere is on elmeſſe biforen
Thanne ben after ſevene.

" Mittat Homo ante ſe bona [O-
" pera] dum poſſit ad Cœlos:
" pluris enim æſtimatur Eleemo-
" ſyna una ante [Mortem] quàm
" ſeptem poſtea.

Hoc ſequitur Vita Sanctæ *Margaretæ* Pſeudo-Rhythmica, Nortmanno-Saxonica cum gloſſis illuſtrata. Integram hanc exhibet *Hickeſius*, & digna ſanè quæ legatur; Verſus enim haudquaquam ſunt inelegantes, & variationem Linguæ Anglicæ luculenter oſtendunt. Poſt illam producit Satyram in Monachos & Moniales iſtius ævi malevolentiſſimam gloſſis etiam explicatam. Agmen claudit Verſio Rhythmica Symboli Athanaſiani. Omnia hæc ante tempora Henrici II. ſcripta ſunt. Hactenus de Gramaticâ Anglo-Saxonicâ & Mæſo-Gothicâ *Hickeſianâ*, quæ rectè *Theſauri* nomen meretur.

Linguæ Franco-Theotiſcæ (illius nempe quâ utebantur Franci & Germannorum

manorum magna pars, ſub Carolo Magno, ejuſque Filiis) Grammaticam ſcripturus Auctor noſter, ab Elementis orditur, quorum ex MSS^is^ varia Alphabeta eleganter æri inciſa exhibet. Francos Literis uſos fuiſſe ante fidem Chriſtianam apud illos receptam probat. Auctores qui in iſta Lingua ſcripſerunt recenſet: quorum primus eſt *Hrabanus Maurus*, qui IX. Seculo ex Abbate Fuldenſi electus eſt Archiepiſcopus Moguntinus. Is Gloſſas Latino-Theotiſcas de partibus humani Corporis fecit, quas *Melchior Goldaſtus* edidit in ſecundo Tomo Rerum Alamannicarum: Proximus eſt *Hrabani* diſcipulus *Otfridus* Wizambergenſis, qui plurima patrio ſermone conſcripſit volumina, quorum magna pars deperdita; & quædam editæ, nempe Pſeudo-Rhythmicum in IV Evangg. volumen paraphraſticum in V. Libb. diviſum. Otfridum ſequitur *Willeramus* Abbas Urſpergenſis, qui Cantica Canticorum quingen-

tis

tis abhinc annis paraphraſticè tranſtulit in Linguam Franciam. Willeramum *P. Merula* edidit A.C. MDXCVIII. illumque Obſervationibus decoravit *Franciſcus Junius* F. F. MDCLV. Præter hos *Libb.* impreſſos, duos quoque Codd. MSSos habuit *Hickeſius*: alterum, Harmoniam Evangelicam Tatiani, quam *Fr. Junius* prælo paratam poſt ſe reliquit; alterum Codicem, Poëticum, Harmonicum, & Paraphraſticam in IV. Evangg. ex Bibliotheca Cottoniana, quem eſſe *Franco-Theotiſcum* ultimo judicio ſtatuit. Hunc librum maximi facit *Hickèſius*, ut qui (ipſo Judice) libros omnes Franco-Theotiſcos, Verborum copia, & Dictionis magnificentia antecellit; hiſce ſubſidiis, ut & Vitâ S. *Annonis* Rhythmica adjutus, Grammaticam ſuam accuratiſſimè contexuit, in qua de ſingulis Orationibus partibus luculenter diſputat.

Grammaticæ Franco-Theotiſcæ adjungit Dictionariolum Vocum nonnullarum

nullarum Gallicarum & Italicarum, quarum Origines a Lingg. Septentrionalibus tantùm ſunt petendæ, cum Tractatu de Poëſi Francorum. In Dictionario demonſtrat quàm miſerè *Ferrarius* & *Menagius* ſunt hallucinati in ſuis Originibus plurimarum Vocum. Exempla unum & alterum proferam. *Addobber* Vox Gallica obſoleta. *Addobbare* Ital. *Ornare*, propriè de veſtibus. *Iſland. at dubba Equitem facere*. Indè, quoniam Eques creatus veſtimentis ſplendidis plerumque ornabatur *addobbare ornare* ſignificat. Menagius a voce *Duplex* derivat ſic: *Duplex*, *Duplus*, *Dupus*, *Dobo*, *Dobbare*, *Addobbare*.

Falda, *Plica Veſtis*. Francicè *Fald*. Goth. *Faltb*. Anglo-Saxonicè *Feald*. Indè noſtrum *Fold*. Menagius deducit a *farciendo*, undè *fartum* & *v* in *l* mutato *Faltum*, & *Faldum*.

Harpe, Cithara. Anglo-Saxonicè *Hearpa*. Scando-Gothicè *Harpa*.

Mano, Ital. *Multitudo*; non a *Manu*, ſed a Gothico *Managei*, vel Francico *Manio*, quod idem ſonat.

Soupe, *Juſculum.* Cimbricè *Soup*, *Supa*, *Sappa*, *Soppa*: verbum *at ſoppa* (Anglicum *to ſup* a Saxonico *Supan*) *ſorbere.*

Touer un Vaiſſeau, Gallicè *Trahere navem funibus.* Francice *Zohan.* Saxon. *Teohan* trahere: indè Anglicum *to tow.*

Pauca hæc ne nimiùs forem. Cui verò plura id genus videre animus eſt, ei abundè ſatisfactum erit in verbis *Aggrappare*, *Alabarda*, *Aringo*, *Affaccare*, *Baretta*, *Botega*, *Bozzo*, *Ceto*, *Compagnon*, *Falo*, *Fol*, *Fra*, *Gramo*, *Orlet*, *Seneſchal*, *Senno*, *Spanno*, *Strale*, *Vaſſus.*

Poëticæ Francorum veteris duo ſunt genera. Rhythmicum alterum, in quo ſyllabarum quantitas, & concinna verborum juſto ordine collocatio obſervatur. Talis eſt Harmonia vetus Cottoniana: ex qua inſignia

* ſpecimina

ſpecimina Latinè verſa producit *Hickeſius*. Pſeudo-Rhythmicum alterum, Clauſulis ὁμοιοτελεύτοις deſinens. Talis eſt Hiſtoria Evangelica Otfridi, quam Vir. Cl. *Johannes Schilterus* (J.C.Argentinenſis) ὁ Μακαρίτης iterum recudere decreverat, ni morte eheu immaturâ preventus fuiſſet. Specimen iſtius Operis olim edidit *Schilterus*, cujus maxima pars hic exhibetur; Otfridi Dedicatio operis Francorum Regi *Ludovico* ſic inſcripta eſt:

LUDOVICO ORIENTALIUM REGNORUM REGI SIT LAUS ÆTERNA.

Hæc Dedicatio ex Tetraſtichis conficitur, ita diſpoſitis, ut prima & ultima Litera cujuſque Tetraſtichi ſit eadem, primaque & ultima omnium Tetraſtichorum Elementa, ſupraſcriptum Indicem, in utroque Carminis deſcendentis Latere exhibeat. En primum.

Ludouuig ther ſnello
Thes uuiſduames follo
Er Oſtarrichi rihtit al
So Francono Kuning ſca L.

Ludovicus alacer,
Sapientia plenus ;
Is Orientale [Franciæ] *Regnum regit,*
Ut Francorum Regem decet.

Vita quoque S. *Annonis* eſt Pſeudo-Rhythmica, tales quoque producit *Hickeſius* Hymnos quoſdam quibus præſtantiſſimam Grammaticam ſuam Franco-Theotiſcam claudit.

Ultima eſt *Runolphi Ionæ* Grammatica Iſlandica, jam iterum ab *Hickeſio* Oxoniæ recuſa. Nunc autem permulta de ſuo addidit, præſertim cùm de *Runis* Cimbrorum veteribus agat. Eorum Alphabeta quampluri-ma, ſcripturæque apud Scando-Gothos uſitatæ ſpecimina, ſex æreis tabulis curioſiſſimè inciſa, exhibet ; &

in iſtarum una *Runas* illas veſtuſtiſſimas, ex Literis Latinis vel Græcis, miro artificio deducit. De cæteris cùm ferè omnia ſint in priori Editione, non hîc ulteriùs eſt agendum.

Tranſeamus itaque ad *Diſſertationem de Præſtantia Lingg. Septentrionalium*, quam ſuadente, ac perſuadente *Barthol. Showere* J. C. & Equite Aurato in ſe ſcribendam ſuſcepit *Hickeſius*: In hac de multiplici iſtarum Linguarum uſu luculenter & maturo cum judicio diſſerit; quamplurima quoque præclara ex *Codd. MSSis* depromit, hucuſque Erudito Orbi penitùs ignota, quibus dictis ſuis fidem faciat. De hiſce ſigillatim, & latiùs quàm de præcedentibus, eſt diſputandum, ut quid in vaſto hoc opere Auctor præſtiterit, & quis ſit Herculei Laboris uſus, & quod Emolumentum planiùs innoteſcat.

Initium ſumit ex rebus quæ ad Legum & Conſuetudinum apud nos forenſium, origines ſpectant; & inde

occaſione datâ, alia quoque ad Jus Anglicanum pertinentia promiſcuè illuſtrat. Omnibus notum eſt, etiam exteris, & in Geographia Tyronibus, quòd Anglia jam indè a Saxonicis temporibus in Provincias (quas *Comitatus* ſeu *Scyras* nos vocamus) diviſa eſt. In ſingulis hiſce *Comitatibus* Curiæ ſollemnes bis in anno tenebantur, in quibus Teſtamenta, Venditiones, aliæque donationes & alienationes Bonorum, vel mobilium vel immobilium, rata & firma habebantur, ad quas quoque de Cauſſis in inferioribus Curiis determinatis provocatio erat legitima. Commentarium Curiæ cujuſdam *Herefordenſis*, quem cùm illo communicavit Vir Maximus *Robertus Harley* jam nunc *Reginæ* a ſanctioribus Conciliis & Epiſtolis, Saxonicum exhibet *Hickeſius*: Ex illo liquet, Epiſcopos in iſtis Curiis præſidere ſolitos unà cum Præfecto Regio, quem *Aldermannum* vocabant, ejuſve Vicario, omnibuſque ipſius Pagi *Thanis* ſeu *Liberis*

Homini-

Hominibus, iis nempe qui ſuo jure Fundos poſſidebant. Cauſſa iſta fuit Teſtamentaria. Alium quoque producit Commentarium Curiæ Comitialis Saxonicum, in quo Venditio Agrorum, de quâ inter Venditorem & Emtorem erat Controverſia, finiebatur. Patet ex iſtis Actis, quòd Fæminæ, & Eccleſiaſticæ & Laicæ, iſtis Comitiis interfuerunt. Cauſſæ *Thanorum* omnium, vel ſaltem majoris eorum numeri, ſuffragiis, non per XII viros, ut poſt *tempora Nortmannica* ſollemne fuit, terminabantur.

Acta hæc, ut & Servorum manumiſſiones, contractuſque ferè omnigeni, quorum Formulas bene multas producit noſter, in Codd. Evangeliorum, & Liturgicis Membranaceis, in Cænobiis illuſtrioribus conſervatis, deſcribebantur. Harum formularum varietas mira. Una exhibet Privilegium ab *Osberno* Epiſcopo Exonienſi Monachis Sancti *Nicolai* conceſſum, ut horas precum diurnas nocturnaſque pul-

ſatione Campanarum deſignarent, hac conditione, ut bis in anno, *Dominicâ* nempe *Palmarum*, & *Paſchatis* in ſollemni Proceſſione unà cum Canonicis Sancti *Petri* Exonienſibus deambularent. Formulas quoque multas Sodalitiorum, ſeu Fraternitatum, præcipue in Diœceſi Exonienſi, ad pietatem promovendam, charitatemque invicem conſervandam inſtitutorum, producit. Hæc Sodalitia ab Epiſcopis pendebant; Sodaliumque unuſquiſque annuas oblationes pro ſeipſo; ut & pro Animabus ſodalium mortuorum Canonicis Exonienſibus perſoluturum recipiebat. Nomina Sodalium, & Locorum quæ incolebant, Membranis inſcribuntur. Sodalitatum quoque duarum inſignium Exempla dat, alterius Monaſteriorum cum Monaſteriis Epiſcopo approbante, alterius Laïcorum ſibi mutuò auxilia in rebus adverſis quibuſcunque pollicentium: Poſtremò denique poſt formulas multas Manumiſſionum recenſitas,

ſitas, quàm variæ illæ fuerunt, quámque humaniter erga Servos ſuos Majores noſtri ſe gerebant, luculenter oſtendit.

Teſtium nomina qui Contractibus quibuſcunque quarum formulas adducit, affuerunt, diligenter enumerat, ut iſtâ datâ occaſione de *Nominibus* & *Cognominibus* Anglo-Saxonum diſputaret. Teſtes enim quamplurimi uni eidemque Contractui perſæpe adhibebantur, eorumque nomina (ni numeratu eſſent difficilia, ut in Curiis Comitialibus ſæpiſſimè fiebat) ſigillatim apponebantur. Adeò ut ex *Nominibus*, quæ Chartis a ſe editis Noſter appoſuit, *Cognominum* apud Anglo-Saxones & Nortmanno-Saxones Rationem Methodumque facillime pernoſcamus.

Cognomina hæc ad tria reduci poſſunt genera : vel a Loco, vel ab Affectibus Animi, Corporiſve, vel a Parentum Nominibus ut plurimùm deſumebantur.

Quæ

Quæ a Locis ſumebantur, Particulis *Æt*, on, in, &c. exprimi ſolebant; ita *Æt Frome*, Fromenſis, *Æt Stoke*, Stokenſis, &c. Patronymica, duplicia, vel in *Ing* terminata, vel quæ *Suna*, i. e. Filium, additum habebant. Ita *Putting*, Puttæ F. *Snelling*, Snelli F. *Tulling*, Tulli F. *Ing* autem veteribus Septentrionalibus Juvenem ſignificabat; ut ita *Snelling* fuerit *Snellus* Junior, &c. Genealogiæ fere omnes Regum Anglo-Saxonicorum in Chronologiâ Anglo-Saxonicâ recenſitæ hâc formâ deſcribuntur. Quæ *Suna* adſcriptum habent multa ſunt, ut *Godwine*, *Leowine's Suna*, unde noſtra *Johnſon*, *Thomſon*, *Ralphſon* (Johannis, Thomæ, Radulphi FF.) cæterique deducuntur. Ab Affectionibus quoque Animi & Corporis multa: Ita *Ælfric ſe Huita*, *Sewi ſe ræda* (Ælfricus Albus, Sewius Rufus.) Sic Saxonicum Cognomen *Sēmær* vel *Sēomǣr*, *ille clarus*, tranſiit in Gentile *Somers*, &c. quædam

dam

dam ludicra, ut *Spetlether* (a ſputo craſſiſſimo & mucoſo, corium aquâ maceratum referente.) *Butapeit* (Vox Nortmanno-Saxonica, denotans Hominem (ni fallor) crepitum ventris nunquam edentem.) *Trenchard* (ſtrenuus Miles, vel Potator ſtrenuus) antiquæ & nobilis Familiæ apud Occidentales Anglos jam diu Gentile cognomen; & ſimilia.

Hæc autem Cognomina non erant Gentilitia; ſed unicuique propria. Antè Danorum in Angliam adventum, Anglo-Saxones rarò cognominibus utebantur: Dani frequentiùs, & poſt Danorum tempora, Angli quoque, ut in chartis ſub *Canuto* Rege, & S. *Edwardo* confectis apparet. Etiam magnus ille Danorum Heros *Odinus*, eſt Πολυώνυμος in Edda Iſlandorum. *Canutus* qui apud Scripp. Anglicos eſt uni-nominis, Danis & Norwegis Hiſtoricis Cnut *hin Riki*, & *hin Froda* fere ſemper nominatur. Nortmannis utpote Danis oriundis idem

mos.

mos. Ita Gulielmus I. *Baſtardus*, Gulielmus II. *Rufus*, Robertus Gulielmi I. F. *Courthoſe* (i. e. curtas habens Braccas) & Henricus I. *Bello-Clericus*. Hæc tamen cognomina etiam apud Nortmannos vix unquam fuere Gentilitia, ante *Belli ſacri* tempora, quo flagrante, Milites fermè omnes Inſignia ſcutis depicta ſibimet peculiaria habebant. *Henrici* dein Secundi ſeculo, Cognomina quæ antea propria Hominibus ſic cognominatis fuerant, Familiæ ſeu Gentes ab iis oriundæ ſibimet ad ſe ab aliis diſtinguendos aſſumſerunt.

Poſt hæc de Judicio Cauſſarum duodecemvirali, quo jam a primis Nortmannorum temporibus uſi ſumus, fusè diſſerit. Cauſſas in *Curiis Comitatuum* determinatas præſentium Thanorum ſuffragiis, non eſſe ulteriùs ad alios Judices pertrahendas demonſtrat, XII. viroſque ante *Gulielmum* I. * *verè* Angliæ Conquæſtorem

* Vide Diſſertationem Epiſtolarem, p. 31.

penitùs

penitùs fuiſſe ignotos probat. Legem *Æthelredi*, quâ XII. ſeniores Thani cum Præſide jubentur jurare ſe neminem vel innocentem damnaturos, vel reum abſoluturos ad *Juratas* noſtras (ut vocamus) nihil pertinere affirmat, cum hi XII. Thani non de novo conſcribebantur, quoties de novis delictis fuerit inquirendum, ſed iidem fuerunt nominati in omnibus *Curiis Centuriatis*; adeò ut potiùs Præſides Aſſeſſores fuerint perpetui, quam Inquiſitores a Vicecomite prout Cauſſa exigebat nominandi, quorum ſententia, quam *Veredictum* appellamus, Judici defertur, quique ſecundum illam pronunciare debet. Præterea *Acta Curiarum* tam *Centuriatarum* quam *Comitialium* adhuc exſtantia adhibentur, quæ XII. Viros non fuiſſe apud Anglo-Saxones, vel Delatores, vel Judiciarios, quales poſt tempora Nortmannica, præſertim poſt Henricum II. demonſtrant. Quin & a *Gulielmi* I. in Angliam adventu, ad *Henricum* II.

(qui

(qui, Monomachiâ abolitâ, *Aſſiſam*, quam J. Conſulti noſtri vocant *magnam*, vel Modum per XII. Viros cauſſas determinandi, inſtituit) vetus illa per *Thanos Comitatûs* Lites dirimendi conſuetudo invaluit. Hanc autem conſuetudinem Nortmanni ex Scandia in Galliam invexerunt, & ex *Regneri Lodbrog* dicti, & poſtea Waldemari Magni LL. quin & aliis fide digniſſimis Monumentis demonſtrat Noſter *Nemdas* (ut illi XII. viros ſuos vocabant) fuiſſe ab antiquiſſimis temporibus inſtitutos: quos ab *Othino*, qui ex Aſia in Scandiam emigraverat, quidam inter Suecos non incelebres Antiquarii deducunt: Numerumque duodenarium antiquis illis Septentrionalibus domitoribus impensè placuiſſe, ex variis Exemplis & ex *Edda Iſlandorum*, & ex Hiſtoriis Septentrionalibus adductis, abundè patet.

A Judiciis duodecemviralibus ad ad Rem Anglo-Saxonum Teſtamen-

tariam

tariam tranſit *Hickeſius*; Formulaſque Teſtamentorum ab illis conditorum aliquam multas integras producit. Ex illis liquet, quòd Teſtium, quibus Teſtamenta ſua confirmarunt Teſtatores, numerus fuit incertus, ad XI. & plures aliquando aſſurgens: quòd tàm Fœminæ, quàm Viri, pro Teſtibus adhibebantur: quòd Fœminis, (etiam Maritis ſuperſtitibus) ſeparatim Teſtamenta condere, & Legata dare licebat: quòd unius probi & ſpectatiſſimi Viri Teſtimonium ad Teſtamentum confirmandum, Teſtatore graviter ægrotante, ſatis erat validum: quòd Hæredes Fidei Commiſſarios, quos *Executores* vocamus, ad Legata Legatariis ad Mentem Legantis diſtribuenda habebant nullos: ſed quòd *Curiæ Centuriatæ* (ab *Hundredis* ſeu *Centuriis* in quas Comitatus omnes diviſi ſunt) vel *Trithingariæ* (a *Trithingis*, quæ tertiæ ſunt *Comitatuum* partes dictæ) vel *Comitiales* id in ſe ſuſcipiebant, a quibus etiam ad

Regem

Regem provocare licebat: quòd Terras vel Prædia Beneficiaria Teſtamento alienare ſine permiſſu Regio non potuerunt, quamvis Bona *allodialia*, quæ libera & hæreditaria poſſidebant, pro arbitrio legabant. Hæc omnia, ut & multa alia ad Rem Teſtamentariam pertinentia, ex Teſtamentis aliiſque Documentis authenticis abundè probat.

A Donationibus, quæ non niſi poſt Donatoris mortem valent, ad alias a Vivis confectas tranſit Noſter.* Talium chartas ferè innumeras habemus R R. Anglo-Saxonum, & Anglo-Nortmannorum, quibus Prædia, & Terras, Eccleſiis, & Hominibus aliquando privatis donaverunt. Harum multæ Autographæ, in Bibliothecis, Cottonianâ præcipuè, & aliis, aſſervantur, quarum quædam genuinæ, quædam ſpuriæ: Plurimæ Apographæ, vel Chartulariis veteribus inſertæ, vel in Hiſtoriis veterum Eccleſiarum & Cænobiorum deſcriptæ,

vel

vel in Chartis confirmatoriis poſteriorum Regum, quas *Inſpeximus* vocamus, conſervatæ. Has autem Chartas, præſertim Autographas nemo ritè poteſt ab invicem diſcernere, niſi cujuſque ſæculi poſt fidem apud Anglo-Saxones Chriſtianam receptam, Manus, earumque Differentias, & inſigniores Mutationes ab *Ælfredo* Rege, vel a Nortmannis invectas, accuratè noverit; de quibus antea in Grammatica Anglo-Saxonica fusè diſputaverat.

De Phraſibus autem modiſque loquendi cuique ſæculo propriis, plura profert *Hickeſius.* Hæc enim omnia futurus Chartarum Anglicarum Editor, ni ſpuria pro genuinis incautus venditare velit, probè callere debet. Hiſce Argumentis inductus Chartas fere omnes Anglo-Saxonicas in Hiſtoria *Ingulphi Croylandenſi* deſcriptas, ſpurias eſſe declarat Noſter: cùm in illis plura vocabula, modique loquendi frequentes occurrant, quæ *Nort-*

 mannorum

monachorum ſapiunt Tempora, vel ſaltem ſæcula iſtis Regibus multò recentiora, quorum Nomina illis Chartis affiguntur. Ita cum *ex gr.* in Charta *Æthelbaldi* Merciorum Regis, anno ſalutis DCCXVI. (ut dicebatur) conſcripta, (Hiſt. Croyl. Edit. Oxon. p. 2.) *Lemae*, *Libræ legalis Monetæ*, cæteraque Normannica occurrunt, & *Monachorum Nigrorum* fit mentio (qui iſto Nomine non gaudebant ante Sanctum *Romualdum* Monachum Caſſinenſem, A. D. MLXX.) etiam ante receptam in Anglia Regulam Sancti *Benedicti*, Chartam iſtam fuiſſe ſpuriam pronuntiare poſſumus.

Hinc ad modum tranſit, quo publica Inſtrumenta conficiebant Anglo-Saxones: & de ſigno Crucis, quo tum Donator tum Teſtes Chirographa Anglo-Saxonica, ante S. *Edwardi* tempora, abſque Sigillis appendentibus muniebant, deque Ordine quem Teſtes in ſignando obſervabant prolixè diſſerit: Chartas quoque ſine Teſtium

conſigna-

conſignatione fuiſſe aliquando validas, modò in *Curiis Comitialibus* relegerentur, immo nonnunquam ſine mentione ulla Teſtium facta ob eandem cauſſam affirmat. Hæc autem utut frivola & minuta incurioſis, & Rem Diplomaticam aſpernantibus videantur, non ſunt tamen parvi momenti, cum ex forma ſigni Crucis ætatem quandoque Chartæ modo ſit autographa, poſſumus determinare. Nam Notam vel Signum Crucis Anglo-Saxones aliter quam Nortmanni effingebant: Hi lineis rubris vel auratis Notas fecëre ſplendidas, illorum Notæ ſimplices erant, ſimplicique atramento nigro depictæ, vel rectangulæ vel ad rectangulas quam proximè accedentes. Nortmanni quoque *Gulielmis* I. & II. & *Henrico* I. regnantibus non rarò ritu Anglo-Saxonico Teſtium nomina ſignis Crucis corroborata appoſuerunt, quibus ſigna cerea more Nortmannico appendentia addiderunt. Horum omnium

 exempla

exempla producit *Hickeſius*. Sigilla autem Regum Anglo-Saxonicorum, nihil aliud fuerunt niſi Monogrammata, qualia multa & Mabillonius in ſuo *de Re Diplomatica* Opere, & *Du Cangius* in Gloſſario ſuo Latino-Barbaro, aliique exhibuere.

Præterea Anglo-Saxones fere ſemper (niſi forſan ſæculo VII°, & ineunte VIII°) Annum Chriſti, cum Anno Indictionis, & ſæpiſſimè cum Epactâ Chartis ſuis appoſuerunt, quæ omnia Anglo-Nortmanni neglexerunt: *Nortmanni* etiam ſingularem tantum Chartam deſcripſerunt unius Donationis; Anglo-Saxones autem duas plerunque, ſæpe tres, quæ diverſis in locis aſſervabantur, quæ loca in Chirographis ipſis fuere deſignata. Chartas autem Anglo-Saxones hoc modo conficiebant; ſi duo tantùm Exemplaria erant deſcribenda, tunc Charta bis in eâdem Membranâ deſcribebatur, cum Vocabulo CHIROGRAPHUM Literis majuſ-

culis ſpatium inter bina Exemplaria dividente, quod Vocabulum biſectum ad ambas Chartas pertinebat, cum ſummitatibus Literarum in ambabus partibus conſpicuis: ſin tria eſſent deſcribenda, tunc in eadem Membrána charta triplicabatur, cum ſpatio inter quaſlibet Chartas ſatis amplo relicto vacuo, in quibus Vocabulum CHIROGRAPHUM (vel quoddam ſimile) erat exaratum: & in tres partes Membrana erat triſecta: Ideoque Membranæ (quales quædam adhuc exſtant) quæ in ſummâ & imâ orâ biſectas oſtendunt Literas, indicant Chartas (quæ in illis ſunt deſcriptæ) eſſe triplicatas: Sectio hæc primò Lineâ rectâ poſteà Linea ſerratâ vel dentiformi fiebat, indeque Chartarum quas *Indentatas* vocamus Origo eſt arceſſenda.

Anglo-Saxonibus quoque ſolemne fuit in Donationibus Terrarum vel Epiſcopis vel Monaſteriis, Chartas ipſas Latinè ſcribere, Terminos autem Terrarum

varum Anglo-Saxonicè: & cum Chirographa in Chartularia Monachi poſtea repoſuerint, quod Latinum fuit, in Regeſta tranſcripſerunt, Saxonica autem quibus Prædiorum Limites deſcribebantur, vel in aliis Codd. ſeorſim, vel ad finem Regeſtorum erant adſcripta.

Hinc ad Tempus inveſtigandum, quo Donationes ſuas Anglo-Saxones Chartis primùm conſignabant, progreditur *Hickeſius*. Nullas Chartas conſcriptas fuiſſe ante ſæculum VII. affirmat. Antea Ethnіciſmo vigente, ſine ſcriptis, Baculo, Haſta, Cornu, Sagitta, Ceſpite, & id genus aliis Donationum ſymbolis Donationes ratas fecerunt: Cum Religione Chriſtiana Chartæ erant introductæ. Æthelberti Cantiorum Regis, Regumque Chriſtianorum apud Anglo-Saxones primi Charta genuina adhuc exſtat, in MSS^to^ codice, *Textu Roſſenſi* dicto: aliæque iſtius ævi, licet paucæ, adhuc in Bibliothecis noſtris aſſervan-

aſſervantur. Iſto ſæculo quoque ſed exeunte, Æra Chriſtiana in uſu apud Anglo-Saxones eſſe cæpit, in VIII. frequentior; Antiquarii igitur illi celebres, qui non ante *Carolum* M. hujus Æræ uſum apud Majores noſtros invaluiſſe affirmabant, egregiè ſunt hallucinati. Annum autem Dominî variè in Chartis ſuis ſignabant, nunc in principio, ſæpiſſimè in medio, ante Teſtium conſignantium nomina, frequenter in fine. Quamplurimæ autem Anglo-Saxonum Chartæ nullâ Temporis notâ ſignantur. Poſtremò obſervat *Hickeſius* omnes Chartas quæ ſignis Crucis auratis, pictiſque Imaginibus fulgent, quales ſæpe Viros in hiſce rebus minùs exercitatos, utut aliàs eruditiſſimos fefellerunt, eſſe ſpurias, & a falſariis Anglo-Nortmannis, longo poſt Intervallo exaratas.

Cùm de Donationibus Anglo-Saxonum ſit dicturus, poſt Prolegomena hæc ad Chartarum notitiam plenio-

rem aſſequendam neceſſaria, illas fuiſſe vel ſcriptas, vel non ſcriptas obſervat. De *non ſcriptis* pauca tantùm ſunt dicenda. Tales ſunt, quæ vel verbotenus ſolùm, vel Traditione Cornu, vel Gladii, vel Galeæ fiebant ſolenniores: Cornu adhuc oſtenditur, quo *Canutus* R. Prædia *Puſeienſia Gulielmo* cuidam *Picot* donare dicitur. *Edgarus* R. Privilegia *Cænobii* Glaſtonienſis Lituo dato confirmavit, Lituumque, ne Monachi eum donarent alicui, vel venderent, ſecari in medio juſſit. *Donationes ſcriptæ* multa cum ceremonia perficiebantur: ſi Eccleſiæ Donatio facta fuerit, Charta Donationis ſuper Altare ejuſdem Eccleſiæ frequenter a Donante ponebatur. Jura autem quæ Donatariis per iſta ſcripta conferebantur varia: De illis accuratè agit Noſter. Aliquando Donatio fuit abſoluta, per quam Donatarius in jura Donantis omnia pleno Jure tranſibat; aliquando reſtricta, per quam Donatarius poteſtatem tantùm

tùm habuit Donationem iſtam alicui, cui vellet, ex Familia vel ſua, vel Donantis donandi: aliquando quoque Terræ ita donatæ, ad Donatarium vel pro vita ſua, vel Donantis, vel aliûs cujuſpiam in Chartâ nominati pertinebant. Horum omnium Exempla habemus quamplurima in Chartis Anglo-Saxonum veteribus.

A Donationibus Anglo-Saxonum ad eorum Leges tranſit *Hickeſius*. Earum jam olim (anno nempe Chriſti MDLXVIII.) Editionem fecit *Gulielmus Lambardus* J. C. celeberrimus; quæ cum Legibus *Gulielmi* I. & *Henrici* I. auctior Cantabrigiæ (A. D. MDCLIV.) poſtea prodiit cura *Abrahami Wheloci*. Utræque hæ Editiones ſunt valdè imperfectæ: Tertiam exornari optat Noſter, viamque ad talem Editionem multò quam antehac accuratiorem reddendam ſternit; & interea Leges *Æthelberhti* I. *Hlotharii*, & *Ædrici* RR. Cantuarorum multis abhinc annis Latine a *Johanne*

de

de Laet Antwerpienſi redditas, Anglo-Saxonicè & Latinè exhibet, additis *Laetii* Annotationibus, in quibus Leges has cum *Legg.* aliorum Populorum Borealium accuratè confert. Ad cujus exemplum omnes noſtras antiquas Leges cum Gothorum & Suecorum *Legg.* quas Viri Eruditiſſimi & olim & nuper ediderunt, collatas, publicique Juris factas, fieri percupit.

Hiſce omnibus quæ ad Legum Anglicarum Origines penitiùs intelligendas apprimè faciunt, pro dignitate ſua expoſitis, ad alia feſtinat Noſter quibus præſtantiam uſumque hujus Literaturæ planiùs demonſtret. De quibus ſigillatim eſt loquendum.

Homiliarum Anglo-Saxonicè ſcriptarum permagnum numerum in Bibliothecis noſtris latitantium habemus. Harum multæ ex Antiquarum Patrum Homiliis, *Auguſtini*, puta, *Baſilii*, *Gregorii* M. & aliorum, ſunt deſumtæ, multæ, earumque potior pars

pars, ab eruditis & piis Epiſcopis & Presbyteris in uſum publicum, Feſtis diebus vel Jejuniis recitandæ, erant ſcriptæ. Harum duas tantùm integras editas habemus, alteram *Ælfrici* Homiliam Paſchalem, qua Eccleſiæ Anglicanæ Doctrina, de Euchariſtiâ luculenter confirmatur, jam antea aliquotiès recuſam, alteram de Fide Catholica, quam *Abr. Wheloeus* ſuis in *Bedam* Obſervationibus adnexuit. Tertiam hîc exhibet *Hickeſius*, Lupi Epiſcopi, *Æthelredi* R. tempore exaratam, a *Gulielmo Elſtobio*, Eccleſiæ S. Swithuni Londinenſis Rectore, harum Literarum peritiſſimo Latinè verſam, in qua ſanctus Epiſcopus Patriæ miſerias & calamitates, tanquam alter *Gildas*, a Danis illatas, graphicè deplorat: Homiliæ huic *Ordines* duo, vel *Regulæ* Jejuniorum obſervandorum, Anglo-Saxonicæ, annectuntur, quibus quid, cum Exercitus hoſtilis Angliam invaſerit ſit faciendum, oſtenditur.

Ad Miſcellanea poſtea tranſit *Hickeſius*, ex quibus *Centonem Saxonicum* confici exoptat. Argumenta quæ in illo tractanda proponit, hæc ſunt. I. *Res Nummaria Anglo-Saxonum.* In eorum Legibus varia nummorum vel pecuniæ genera recenſentur, *Thrimſa*, *Mancuſa*, *Penningus*, *Sceata*, *Styca*, *Ora*, & ſimilia. Horum valorem determinare conatur *Hickeſius.* Rationeſque ſuas, veterum Auctorum teſtimoniis fultas, hoc modo ſupputat. *Penningus* quo nomine & Anglo-Saxones & nos *Denarium* Latinè appellamus, tres *Penningos* noſtros & pondere & valore æquabat: Hujus dimidia pars fuit *Healfling*, pars octona *Styca* vocabatur. Quinque *Penningi Scyllingum* conficiebant, qui ſumma fuit Pecuniæ, non Nummus certus. Quatuor *Penningi Thrimſam* vel *Tremiſſem* conficiebant, cujus in *Legg.* antiquis Germanorum crebra fit mentio. *Sceata* eſt quarta pars *Scyllingi*, ſive *Penningus* quadrante auctus. *Scyllingi*

ſex *Mancuſam* ſeù *Marcam* conſtituebant. *Scyllingi* IX, ſeu *Marcæ* X, *Pundam* (quam *Libram* vocamus) quæ tres Libras Anglicas cum XV Scyllingis, (quorum unuſquiſque Pundæ noſtræ eſt pars vigeſima) valore æquabat. *Ora* a Cimbrico *Aur* vel *Auri* nominata, viginti *Penningis* fuit æqualis: Hæc de Pecunia Anglo-Saxonica adducit Noſter. II. *Juramentorum Formulæ ſollemnes*. Harum multæ in *Textu Roffenſi*, Libro venerandæ antiquitatis, adhuc aſſervantur: Juramentum Fidelitatis: Juramentum quo Reus ſe a Furti crimine purgat: Aliud quo Actor pecora ſibi furto ſurrepta affirmat: Aliud compurgatoris, ſeu conjuratoris, quod genus Juramenti apud Anglo-Saxones uſitaſiſſimum: Formula hujus Juramenti hæc eſt, *Per Deum Juro, Juramentum quod N. juravit eſſe caſtum & incorruptum:* cum aliis compluribus. III. *Cenſus Civium cujuſcunque conditionis.* Ex MS°. in

Textu

Textu Roffenſi patet, Anglo-Saxonibus cujuſcunque ſortis ad Honores quoſlibet Induſtriâ & Diligentiâ viam patuiſſe. Coloni & Mercatores, ſi vel Fundos vel Nummos ad determinatum valorem poſſiderent, *Thanis* ſive *Baronibus* æquabantur. Presbyteri *Thanorum* privilegiis gaudebant. Thanis quoque ad Honorem *Comitum*, qui maximus apud Anglo-Saxones, aditus non fuit denegatus. Sic a minimo gradu ad maximum aſcenſus certus, modò Induſtria & Ingenium non defuiſſent. Literis quoque & Clericatui juſtus Honor habitus. IV. *Sancti in Anglia Sepulti.* Tractatum de hiſce ſatis amplum, Anglo-Saxonicum, Latinè ab Eruditiſſimo Viro *Gulielmo Hopkinſio*, non ita pridem Eccleſiæ Cathedr. Wigorn. Canonico, verſum, operi ſuo inſeruit Noſter, in quo multa ad Hiſtoriam RR. Anglo-Saxonum illuſtrandam perquam utilia continentur. Ex hiſce & conſimilibus Argumentis miſcella-

miſcellaneis, quæ Codd. MSS. verſanti ſponte occurrent, *Centonem* ſuum *Saxonicum* conſarcinari jubet *Hickeſius*.

Hiſce abſolutis, Topographiæ Britanno-Romano-Saxonicæ Ideam delineat, qualem ab Antiquario Anglo-Saxonico deſcribi ſperat. Exempla unum & alterum producit, ad quorum normam alia Loca deſcribi optat. Unum hic adjungere non gravabor.

Baþan-ceaſter, i. e. *Urbs Balneorum*: & a Valetudinariorum ad Thermas concurſu, Acemannes-ceaſter, *i. e.* ægrotantium Urbs. Britannis *Tr ennaint twymin* & *Caer-Badon*. Ptolomæo ὕδατα θερμά, *i. e.* Aquæ calidæ. Antonino *Aquæ Solis*. Stephano *Badiza*, vulgò Latinorum *Bathonia*: Nobis hodiè *Bath*, Urbs Angliæ Occidentalis, in Agro Sumerſætenſi, in limite Comitatûs Wiltoniæ ad Avonam fluvium, qua per planitiem non ita magnam collibus obvallatam ad

 Briſto-

Briſtoliam tendit, ſita, Aquis ſuis calidis, ſive Thermis clara. Ubi jam Eccleſia Cathedralis, antiquitùs Templum Minervæ ſacrum, exſtitiſſe fama refert. Unde & Britanni *Caer Palladur*, i. e. *Urbs aquæ Palladiæ* ſuâ Linguâ dixerunt. *Offa* R. alterum Templum exſtruxit, quod Dani deſtruxerunt, e cujus Ruinis poſtea Templum erectum eſt, B. Petro ſacrum, in quo *Eadgarus* in Regem inauguratus eſt Feſto Pentecoſtes v. Id. Maii, A. D. DCCCCLXXIII. Thermarum Inventionem referunt Fabulæ noſtræ ad Britannorum Regem *Bleyden-Cloyth*, i. e. *Bleyden Magum* dictum. Hucuſque *Hickeſius*.

Tale opus, cui vix unus ſufficit, Hiſtoriam Anglicam, & Civilem & Eccleſiaſticam, imo & multarum apud nos illuſtrium Familiarum mirum quantùm illuſtrabit.

Sed nec ſolius Linguæ Anglo-Saxonicæ ſtudium *Hickeſii* Antiquario ſufficit. Cæteras Linguas Arctoas,

quarum

quarum Grammaticas Inſtitutiones in Theſauro ſuo antea protulit, magnâ cum curâ ediſcendas proponit: & ne Linguæ *Scando-Gothicæ* ſpecimen ſtudioſo Lectori defuerit, Hiſtoriam antiquam *Hialmari* R. Biarmlandiæ & Thulemarkiæ Linguâ *Scando-Gothicâ*, & vetuſtis Runis Scandicis exaratam, a *Johanne Perinſkioldo*, magno illo Hiſtoriæ Borealium RR. a *Snorrone Sturtæſonio* ſcriptæ Editore, Latinè verſam, Scandicè & Latinè, Runicis quoque & vulgaribus Literis impreſſam exhibet.

Specimen hoc *Runicæ* Literaturæ tabulis inciſum producit Noſter, ut eò meliùs Lectores, qui ſubſidiis *Libb.* Norvegicè deſcriptorum deſtituti ſunt ſeipſos paullatim & Characteribus *Runicis*, & Linguæ iſti Arctoæ veteri aſſueſcant. Quod ſi ſcriptores ferè omnes, qui de *Antiqq.* vel de *Lingg.* Populorum totius ferè Europæ, qui a Gothis, vel ſaltem a Gentibus Teutonibus ſive Theotiſcis originem tra-

 hunt,

hunt, ſcripſerunt, quamvis aliàs Viri Eruditiſſimi, feciſſent, Linguiſque vernaculis, Latinæque & Græcæ, Lingg. Borealium (quarum Inſtitutiones in his comprehenduntur voluminibus) ſcientiam adjunxiſſent, non tam turpiter fuiſſent hallucinati. Talium errorum ingentem ſegetem videamus in *Goropii Becani* Opp. in *Lindenbrogii* Gloſſis ad Legg. antiquas, in *Aldretii* Origg. Caſtellanis, immo quod mireris in Lexico Saxonico & Gloſſario *Gulielmi Somneri*, qui Anglo-Saxonicè peritiſſimus, cùm & Norvegicam & Francicam *Lingg.* ignoràſſet, aliquoties in verborum *origg.* tradendis hallucinatur. Multoſque alios præclaros nominat Noſter auctores, quos tametſi debitâ laude non privat, quàm magnò tamen illis harum *Lingg.* ignorantia ſteterit apertè demonſtrat.

Feliciores tamen poſteri futuri, qui hiſce adminiculis inſtructi, quævis Septentrionis adyta ſcrutari poſ-

ſint, præſertim ſi *Franciſci Junii* F.F. *Etymologica* & *Gloſſaria*, quæ ultimis Tabellis Academiæ Oxonienſi moriens legavit, in lucem ederentur. Ex *Gloſſis* ejus *Alamannicis* excerpta quædam exhibet Noſter, ex quibus, ut ex ungue Leonem, quanti ſint æſtimanda conjiciamus. Exemplum unum adjiciam.

Balnearium Bàdo.] Bàd *Lavacrum*; badon *lavare*: occurrunt apud Otfridum Lib. III. cap. 4. *Balneum* Bæth; gr. Ælfrici, cap. 13. *Balnearium* vel *Thermarium*; bæth hus, gl. R. 109. *Thermas* *Bæthhus*, vel *Bæthſtow*; gl. R. 109. *Thermas* vel *Gymnaſium* Bæthſtede. *Apodyterium*, Bathiendra manna hus, i. e. Domus qua Veſtimenta Balneantium ponuntur. Thær hi hi unſcredath inne; gl. R. 55. Bath, *Balneum*. Beda I. 1. bathian *lavare*. Beda IV. 19. Oroſius III. 9. bebathod beon. *Ablui*. Beda I. 27. Reſp. 8. Lifes bæth, *Lavacrum vitæ*; Beda II. 5. On Bethe hine thwean,

 Balneo

Balneo ſe lavare. Somn. 30. Cottoniano interlineati Codicis Gloſſatori *Johannes* præcurſor Domini dicitur *Bætzere*, vel *Fuluihtere*, Matt. III. 1. at Ruſhworthiano idem Baptiſta aliquando *Badzere*, aliàs verò *Bezera* nuncupatur. Iſlandicis *Bad* eſt *Balneum*; Danis *Bad*, *Badſtue*; Anglis *Bath*; Belgis *Bad*, *Badſtove*, quorum poſtremum pleniſſimè reſpondet Anglo-Saxonico *Bathſtow*. Suſpicabar olim Anglo-Saxonicum *Bath* abſciſſum a Βάθος, quod frequenter remotum ſepoſitumque locum denotat: ſiquidem Balnea olim in penitiore atque intimâ ædium parte conſtruere ſolebant antiqui. Nunc verò *Bad* rectiùs crediderim poſſe derivari à *Baden*, *Aquæ immergere ſe, abluere.* Ipſum verò *Baden*, a *Waden*, *vadare*, *vado tranſire*. Cædmon. 20, 22. Theah me on ſæ wadan hete heofones God. *Licet Cæli Dominus injungeret mihi ut mare vado pertranſirem.* Oroſius Lib. II. cap. 4. Wifmen mihton thæs ea be

heora

heora cneowe oferwadan. *Flumen erat permeabile fæminis vix genua tingentibus.* Hucuſque *Junius.*

Hiſce ſpeciminibus Diſſertatio hæc clauditur. Ad quem in fine accedit Charta *Eadgari* R. æri graphicè inciſa. Hanc, de qua in Diſſertatione ſua multùm diſputaverat, Ampliſſimo & illuſtriſſimo viro *ROBERTO HARLET* grato cum animo, & qua par eſt obſervantia D.D.D. *Hickeſius.*

Illam excipit Viri Ampliſſimi *Andreæ Fountaine* Eq. Aurati ad Honoratiſſimum Dom. *THOMAM* Dom. *HERBERT*, jam nunc *Hiberniæ* Præfectum, Diſſertatio Epiſtolaris de Numiſmatibus Anglo-Saxonum, quæ decem Tabulis æreis accuratiſſimè inciſæ exhibentur. In illis non tantum omnes nummi, quos *Walkerus* ad calcem vitæ *Ælfredi* R. & *Gibſonus* in Anglica Britanniæ Cambdenianæ Editione ediderunt, apparent, Sed & complures alios, quos ipſe conſpexerat, hactenus ineditos producit,

tium, continetur. Auctor Catalogi hujus *Humfredus Wanleius*, divini ſanè Vir ingenii, ut eum Hickeſius vocat, qui in Præfatione ſatis prolixa Illuſtriſſimo *R. Harleio* Sereniſſimæ Reginæ noſtræ a ſecretis, inſcripta, Methodum quâ in conficiendo hoc Catalogo uſus eſt delineat. Libros nempe omnes, Locoſque in quibus iſti Codices aſſervantur particulariter deſcribit: Ætatem cujuſque Codicis (in qua inveſtiganda nemo mortalium forſan peritior) accuratè notat. Genera Charecterum, priſcos iſtorum *Codd.* poſſeſſores, verbo dicam, hiſtoriam uniuſcujuſqueCodicis quantùm poſſit, deſcribit. Quot in quovis Volumine Tractatus continentur exactiſſimè notat, paginas ſingulorum Tractatuum enumerat, Sententias Initiales & Concludentes exſcribit, ut ita de omnibus, quorum mentionem facit, Codicibus peritus Lector poſſit facillimè pronunciare. De Auctoribus quoque quorum Nomina *Codd.* præfi-

præfiguntur, ſin obſcuri, vel ambigui ſint, magno cum Judicio diſputat, ut ita ſpurios a genuinis Libros diſcerneret, Tractatuſque anonymos veris auctoribus vendicaret. Tales olim ſi habuiſſemus Catalogos, omnium in Europa *Codd.* MSSorum, Editiones tam mutilas, tamque imperfectas etiam optimorum Auctorum Viri cæteroquin Eruditiſſimi in publicum non protruſiſſiſſent: Quam magnas autem *Codd.* Anglo-Saxonicorum, Gazas tot tantiſque ruinis ſuperſtites, adhuc poſſideamus ex hoc conjicias, Vir Clariſſime, quod *Pagg.* 310. Voluminis in Folio prægrandis, charactere ſatis minuto impreſſas continet hic Catalogus.

Huic annectitur Catalogus *Libb.* Septentrionalium a Cl. *Perinſkioldo* Holmiâ ad *Hickeſium* tranſmiſſus, quem ſequuntur Indices VI. perquam accurati, qui totum opus mirificè illuſtrant. Indices hos *Wilhelmo Bromeo* de *Ewithington* in Comitatu

Here-

Herefordiæ, Viro egregio, dotibus ingenii, & tam Græcarum, & Latinarum, quam Gothicarum, & Saxonicarum Literarum cognitione claro, acceptos refert *Hickeſius* in Præfatione de opere ſuo ad Reverendum & Doctiſſimum Virum *Adamum Otteley* Eccleſiæ Cathedralis Herefordenſis Canonicum, qui pro ſuo in veterem Septentrionalem Literaturam amore, in qua verſatus eſt, æs ſuum ad inchoandam *Hickeſiani* operis Impreſſionem largè, & liberaliter primus omnium contulit.

FINIS.

IN THESAURI *Lingg. vett. Septentrionalium* CONSPECTUM NOTÆ.

P. 1. *VArium hoc eſt multiplexque opus.*] Quam varia eſt hujus operis materia oſtendit etiam ejuſdem Notitia, quæ in *Actis Eruditorum* Lipſiæ prodiit calend. Aprilis, & Calendis Maii MDCCVIX. Cui accedant, quæ de eo ſcribit vir Nobiliſſimus, & Illuſtriſſimus Dom. Dom. EZECH. SPANHEM in Diſſertationum ſuarum de præſtantia, & uſu Numiſmatum, quæ *Londini* prodierunt, Tom. I. p. 557. in verbis, quæ ſequuntur.—

Noviſ-

Noviſſime autem in præclara omnino, & ampliori numiſmatum *Anglo-Saxonicorum*, *&* *Anglo-Danicorum* Collectione, ſingulari induſtria fide, & accuratione, qui veteris inſuper Græcorum; ac Romanorum nummariæ ſupellectilis ſtudio venit commendandus, ornatiſſimus Eques *Andreas Fountaine.*—Quo loco præteriri inſuper non debet is, cui laudata illà Numiſmatum *Anglo-Saxonicorum*, & *Anglo-Danicorum* collectio eſt feliciter inſerta, inſignis omnino, qui nuper admodum *è Theatro Oxonienſi prodiit* Linguarum Septentrionalium Theſaurus, a Doctiſſimo *Georgio Hickeſio*, immenſo ſtudio nec minori laude, ac fructu congeſtus; additusque eidem ab *Humfredo Wanleio*, eximia eruditione, ac induſtria viro, Librorum Septentrionalium, qui in Anglia reperiuntur, catalogus. E quo autem gemino opere pleniorem antiquæ literaturæ, de qua modo——notitiam licet continuo percipere.

P. 12.

P. 12. *Codicem autem Argenteum* Ulphilæ abjudicat *Hickeſius.*] Sic & vir illuſtriſſ. in ſuæ *de Baptiſmo veterum ethnicorum*, quæ Hafniæ prodiit *diſſentationis*, Cap. II°. *Sperlingius*, ubi ſic ſcribit. Neſcio autem, ut & illud moneam, quomodo in Evangelia *Ulphila-Gothica*, quæ vocant, vox *Daupian*, *baptizare*, cum cæteris exinde dependentibus, inſerta fuerit: neque enim ſua natura eſt Septentrionalium, --- ſed eſt mere Germanica, iis [*nempe Germanis*] ſolis uſitata nec ante Chriſtiana Sacra in Septentrione ſtabilita vox illa ex Germanicis in Septentrionales eſt introducta,---adeo ut potius *Longobardica*, aut Germanica, quam Ulphila-Gothica, hæc Evangelia dici mereantur. Multa ſane habent hæc Evangelia, quæ more ſunt Germanica, nec Septentrionalibus, aut Gothicis conveniunt, ut *Du*, quod eſt Germanicum *To*, aut *Zu* ſuperioribus Germanis; pro quo omnes Septentriona-

les

les ab omni ævo in hunc uſque diem *Til* uſurparunt. Sic *Math.* XXVII. 13. *Quath du imma*, **Er ſagtz zu Jhm** mere ſunt Germanica: Gothi & Septentrionales nunquam **zu Jhm** dixiſſent, *ſed til hanom.* Ita quoque *Joh.* X. v. 42. *Du Wiſan mith ſis*, mere Germanizat: Hodie Germani ſuperiores dicunt **Zu ſeyn met Jhm**, at inferiores, *to weſen med ſik.* Quibus ſi jungas illa cum præfixo *Ga*, ut *gaband*, **geband**, abundans, **gebunden**: *gabaurans*, **geboren**, & ſimilia alia——non niſi has literas Longobardicas, & linguam iſtam Longobardicam eſſe promptius eſt affirmare, quam Gothicam ab *Ulphila* profectam. Haud ſecus in Præfatione ſua ad ampliſſ. virum *Joh. Pakinton* Baronettum de Gemina Grammatica Anglo-Sax. & Moeſo-Gothica ſua *Hickeſius*: Harum enim Linguarum ſcilicet Anglo-Saxonicæ, & veteris Franco-Theotiſcæ, cum dicta *Moeſo-Gothica* eam ſenties eſſe cognationem,

ut

ut hanc illarum *communem matrem* eſſe habendam mecum non poteris, quin propterea judices, quod veteris Angliæ *Germano-Saxonicus* Sermo, *Franciciuſque*, quem Franci in Germania, Galliaque uſurparunt, Gothicam iſtam, Moeſo-Gothicam, & Ulphila Gothicam a doctis vocatam, cum forma, & facie, totiuſque quodammodo Corporis Speciæ, tum moribus, ſi dicam, & ingenio quemadmodum Filiæ parentem referunt. Quod cum apud me diligenter ſæpius, & attentius perpenderem, exiſtimare cœpi, aut *Ulphilam* ejuſque populum, a Græcis Gothis dictos reipſa *Teutones* fuiſſe, aut quod magis credo, *Teutonem* aliquem Argentei codicis eſſe Auctorem.

P. 17. *Mutationes in illo Dialecto, & quoad Scriptionem, & quoad verba—diligentiſſime notat.*] In Dialecto ſcilicet *Dano-Saxonica auſtrali*, quam & *Semiſaxonicam* cum doctis vocat *Hickeſius*, de qua tractat in Grammaticæ

ticæ ſuæ Anglo-Saxonicæ, & Moeſo-Gothicæ Capite XXII°. Quantum autem a ſe mutari Cœpit, Danis Angliam incubantibus, tum quoad Scriptionem, tum quoad verba purior Orientalium, Auſtralium, & Occidentalium Saxonum Sermo infra oſtendetur ex teſtamentis duobus, quæ Dano-Saxonicè ſcripta ſunt.

P. 31. *Linguæ Franco-Theotiſcæ Grammaticam Scripturus Auctor noſter ab elementis orditur, quorum ex* MSS. *varia Alphabeta eliganter æri inciſa exhibet.*] Notandum autem eſt *Hickeſium* brevi poſtea quam, prodierat opus ſuum, animadvertiſſe Alphabetorum *Secundum*, quod ipſe Gram. ſuæ Franca-Theotiſcæ Capite I. *è Trithemio*, ut Trithemius ex *Hunibaldo*, ſumſerat, non eſſe omnino Franciçorum Elementorum, ſed Græcorum Alphabetum *Arithmeticum.*

P. 36, 37. *Eorum Alphabeta quamplurima, Scripturæque apud Scando-Gothos uſitatæ Specimina, Sex æreis tabellis*

bellis curioſiſſime inciſa exhibet & in iſtarum una Runas *illas Vetuſtiſſimas ex literis Latinis vel Græcis miro artificio deducit.*] Quod de *Runarum* deductione a Græcis Latiniſque literis in Grammaticæ Iſlandicæ Cap. I. de ſuo tradidit *Hickeſius*, id prius ſcripſit, quam quæ contra diſputaverat in *Atlantica* ſua celeberrimæ memoriæ *Ol. Rudbeckius*, ſcire illum contigerat. Veuruntamen iis nondum lectis, temere prorſus, an ſecus earum originem a Græcis Latiniſque literis repetendam docuit, rite inſpectâ, quam vocat, Runicorum ſtemmatum tabellâ, æquus Lector judicet. Verum & Græcis, Latiniſque literis ſe Runas deduxiſſe ne pœniteat *Hickeſium*, cum ingens Germaniæ Decus *Leibnitius* eas non aliunde derivandas cenſeat in literis Gallice Scriptis, quas ad *Andream Fountaine* Equitem Auratum *Berlini* dedit Februarii 19 die, 1707. In quibus ſic ſcribit: *Olaus Wormius* avoit cru,

que les anciennes lettres Eſpagnolles venoiens des *Runiques.* Mais je crois que lors que les Carthaginois, & les Romains ſe rendirent maiſtres de l'Eſpaigne les *Runiques* n'eſtoient pas encore au monde. Eſtants formées apparement lors que les Peuples du Nord ont commencé d'avoir plus de commerce avec les Grecs, & les Romains, dont les lettres corrumpues ont donné occaſion aux Runiques.

P. 43. *Canutus——Danis & Nortwegis Hiſtoricis* CNUT. &c.] *Hickeſius* in Grammaticæ Iſlandicæ Capite I. *Canuti* ſive *Cnuti* R. Nomen a veteri Danico **Knutur**, *nodus*, derivat, propterea, ut ipſe non male autumavit, quod apud Septentrionales gentes *Nodus* amoris, fidei, amicitiæ, & inſolubilis affectus Symbolum fuiſſe videtur. Verum aliam cauſam aſſignat laudatus modo * *Sperlingius*, propter quam Rex iſſe **Cnutur** vocatus eſt.

* *De Baptiſmo Ethnicorum Cap.* XII.

Aliud

Aliud (*inquit*) nobis exemplum præbet primus in Daniâ *Canutus* Rex, hoc nomine: Siquidem in Univerſo Orbe nemo ante ipſum *Canuti* nomen geſtavit, quod originem talem habuit, prout ex antiquis Manuſcr. inſertum legitur in *Chronico Norvegico* Danice edito p. 112. Nam cum *Canutus* ille, qui expoſititius fuerat Daniæ Rex factus ſerio & diligenter inquireret de veris parentibus ſuis; Duo Sueci ſervi & mancipia Comitis cujuſdam Saxonici ad ipſum venerunt, eique rem omnem prout erat expoſuerunt: Comitem nempe Arnfinnum quendam in Holſatiâ cum ſorore ſua concubitum inceſto conſueviſſe, ex quo natus fuit *Canutus*. Ut inceſtus lateret, traditur infans his duobus Suecis, qui tunc ſervi erant *Arnfinni*, ut eum obtruncarent. Illi vero puerum expoſuerunt in Sylva proxima, nobis adhuc **Duſterholt** dicta, Danice tunc **Morkeved**, quod idem eſt, & ſignificat *Sylvam tenebroſam*, ubi ſub ar-

bore Salicis relictus fuit vagiens, ſignis quibuſdam annullorum aureorum, & recularum aliarum nodo conſtrictis ſuper ipſo colligatis, quæ talia deprehendebantur cum ipſo reperta fuiſſe. Accidit enim Gormonem Regem Daniæ ſervos ſuos eodem tempore in Holſatiam, ablegâſſe ut vinum ipſi coemerent. Et cum plauſtris redeuntes quibus vinum apportabant, noctem in prædictâ Sylvâ cælo tranquillo tranſigentes, pueri vagientis vox non procul illorum aures allabitur, quam vocem ſecuti repererunt eum ſericis & Linteolis mundis involutum, *nodum*que præterea in Linteis conſtrictum cum ipſo, cui tres annuli inerant aurei. Hunc puerum igitur ſecum ad Gormonem Regem deferunt. Hand lod det dobe efter hendenſke viis og kaldet det knud, for den knude der fandtes hos Barnet, med de Guldringe udi, og det vorte up, og var meget deiligt.

H. e.

H. e. Ille baptizare illum curavit more Paganorum & nomen impoſitum fuit *Canuti*, ex nodo iſto cum infante reperto, in quo tres iſti annuli aurei, & adoleſcebat ac pulcherrimæ formæ erat. *Nodus* enim Danis knude etiamnum vocatur & Germanis inferioribus een knut ſuperioribus eine knute unde ſæpe *Knuttus* in Manuſcr. effertur, qui hoc nomen adepti ſunt in hunc uſque Diem: Ex quo tandem *Canutus* & *Kanutus* in Hiſtoricis Latinis ſcribitur —— Poſtquam igitur infans hic ex tenebris illis, ad quas damnatus erat, in lucem iterum emerſit, aquis tinctus fuit, more Paganis Septentrionalibus tunc temporis paſſim uſitato, ſicque *Canuti* nomen confecutus eſt, non ante.

P. 46, 47. *A judiciis Duodecemviralibus ad Rem Anglo-Saxonum Teſtamentariam tranſit* Hickeſius, *formulas teſtamentorum ab illis conditorum aliquam-multas integras producit, ex quibus liquet* —— *quod Hæredes fidei-*

commiſſarios, quos executores *vocamus, ad legata legatariis ad mentem legantis diſtribuenda habebant nullos.*] Executores, quos vocamus, in Teſtamentis conſtituere Anglo-Saxonibus morem non fuiſſe oſtendunt etiam *Æthelfledæ*, & *Ægelfledæ* ſororum, *Ælfgari* comitis filiarum & hæredum teſtamenta, Dano-Saxonice facta; quorum notitiam grato cum animo acceptam refero Illuſtriſſimo, & Eruditiſſimo viro ROBERTO HARLEY, ex antiquis cujus Bibliothecæ membranis, quum ob *Codd. MSS.* tum *Chartarum veterum* gazas, ineſtimabilis, deſcripta illa hic cum Latina Verſione exhibere placuit; quod Linguæ Saxonicæ, & Antiquitatum noſtrarum cultoribus gratum & jucundum fore judicarem.

ÆTHEL-

ÆTHELFLEDÆ

Æthelſtani Ducis Viduæ

TESTAMENTUM.

Bibliothecæ *Harleyanæ*, 43. c. 4.

Circa 972.

ÐIs is * Æþelflæde Cƿiðe. þ is ærest þ ic gean minum Hlaforde. þes landes æt Lamburnan. 7 þæs æt Ceolsige. 7 æt Readingan. 7 feoƿer beagas on tƿam hund Mancys goldes. 7 iiii. pellas. 7 iiii.

* Saxonicè Æthelfledes Cƿiðé. Etenim Dano-Saxonica dialectus non tantum negligit terminationes nominum caſuales, quibus Anglo-Saxonica, haud ſecus ac *Lingg.* politiſſimæ Græca, & Latina, gaudent, ut oſtendit *Hickeſius* Gram. Anglo-Sax. Cap. xx. Reg. xvi. Sic infra leguntur Hlaforde, pro Hlafordum, vel Hlafordan; Magæ pro Magum, vel Magan; Cnehtæ pro Cnehtum, vel Cnehtan; preoste pro preostum, vel preostan; minne pro minum, & ſimilia.

cuppan.

cuppan. ⁊ iiii. bleda. ⁊ iiii. hors. ⁊ ic bidde minne leouan Hlaford for Godes lufan. þ min Cwyde standan mote. ⁊ ic wan oðer nebbe geworht on Godes ge-witnesse :· ⁊ ic ge-an þæs landæs æt Do-marhame into Cristinga-byrig. for Ædmundes cinges saule. ⁊ for Ead-gares cinges. ⁊ for † mire saule :· ⁊ ic ge-an þes landes æt Hamme into Cristes-cyrcan æt Cantware-byrig for Ædmundæs cinges saule. ⁊ for mire sayle :· ⁊ ic ge-an þes landes æt Wuda-ham Bæorhtnode Æaldormen ⁊ mire *Swustær hyre dæg. ⁊ ofer hire deg into Sca-Marian cyrcan æt Byorcingan :· ⁊ ic ge-an þes landes æt Hedham Bæorht-noðæ Ealdermen ⁊ mire *Swustær hæora dæg. ⁊ æfter hæora dæge into Paulus-byrig æt Lundænæ to biscop hamæ :·

---

† Saxonicè Minre. Ab (n) enim abhorret Dano-Saxonica dialectus, ut multis exemplis docet *Hickeſius*, Gram. Anglo-Sax. Cap. xx. Reg. xi. p. 95. & Reg. xvii. p. 99. Sic infra aræ, pro arne.

* Hic in finali Syllaba (æ) pro (e) ſcribitur, ut infra in hæora pro heora, Bæorhtnoþæ pro Beorhtnoþe, gæan pro gean, & ſimilibus. Secundum Reg. v. Cap. xx. Gram. Anglo-Sax. *Hickeſiana*.

⁊ ic

⁊ ic ge-an þæs landæs æt Dictunæ into Ylig to Sc̄æ Æþelðryð ⁊ to hire gesƿustran :· ⁊ ic ge-an þara tregra landa æt Cohhanfeldæa ⁊ æt Ceorles-ƿeorþe Bæorhtnoðæ Æaldormen ⁊ minæ sƿuster hiræ deg. ⁊ ofer hire dæg into Sce Eadmundes-stope to Byderices-ƿyrðe :· ⁊ ic ge-an þæs landes æt Fingringaho Bæorhtnoðe Æaldermen ⁊ mire sƿuster hiræ deg. ⁊ ofer hire dæg into Scæ Pætres cyrcan æt Myres-igæ :· ⁊ ic gæ-an þæs landæs æt Polstede Bæorhtnoðæ Æaldermen ⁊ mire sƿuster hire deg. ⁊ ofer hira dæg into Stocy :· ⁊ ic gæan þæs landes æt Hƿifersce into Stocy ofer minnæ deg :· ⁊ ic gæ-an Bæorhtnoðæ Æaldermen ⁊ mire sƿuster þæs landes æt Stræt-forda hire dæg. ⁊ ofer hire dæg ic his gæ-an into Stocy :· ⁊ ic ƿillæ þ Lauan-ham ga into Stoce. ofær þen Æaldermannes dæg. ⁊ mire sƿuster :· ⁊ ic ge-an þæs landes æt Bylyges-dynæ into Stocy ofer þæs Æaldermannes dæg. ⁊ mire sƿuster :· ⁊ ic ge-an þara landa æt Peltan-dune. ⁊ æt Mires-ige. ⁊ æt Grensteðe into Stocy ofer minnæ dæg. ⁊ ofer Bæorhtnoðes Æaldermannæs ⁊ ofær mire sƿuster :· ⁊ ic ge-an þæs landes æt Ylme-sæton

Beorht-

Beorhtnoðe Ealdormen. ⁊ mine swus-ter hira dæg. ⁊ ofer hira dæg ic his gæ-an Æadmundæ :· ⁊ ic an þæræ * aræ hide æt Dorpæ into Hedlæge for mine saule. ⁊ for mira Eldrena ofer [minnæ dæg :·] ⁊ ic ge-an ðæra x. hida æt Wic-

---

* Pro duplici ſenſu vocis aræ dupliciter verti poteſt hoc membrum: ⁊ ic an þæræ aræ hide æt Dorpum. Etenim Saxonicum are Dano-Saxonicè aræ, *res*, *bona*, *poſſeſſiones* ſignificat. In quo ſenſu verba ſic transferenda ſunt: *Præterea do prædium iſtius hidæ Thorpenſis.* Quod autem are ita ſignificat, oſtendit iſtud in LL. polit. *Canuti* R. 46. gebete þæt be ealra are, *bonis* ſeu *poſſeſſionibus omnibus ſuis multetur*; ut & iſtud earundem LL. 64. Plihte himsylfum. ⁊ ealre his are, *ſe & omnia bona ſua in periculum adducit.* Sic Reg. Benedict. interl. cap. 2. he heom þare landare geuðe, *conceſſit eis iſtos Terrarum reditus.* Sic in *Ægelfleda* Teſtamento, ⁊ þa aræ þæ hi þider instaðon à to freog on Godesrihte, *& prædia illa, quæ ſemper fore libera, utpote Deo devota, procuraverunt.* Verum ut ſupra obſervavi, Mine, vel Minæ ſcriptum eſſe pro Minne; ſic hic aræ ſcriptum eſſe pro anre probare videtur iſtud in *Ægelfleda*, ſeu *Ælfleda* Teſtamento, þaræ anræ hide æt Ceafle; *ſingularem illam hidam apud* Ceaſtam.

forda

forða Sibrihtæ minum mægæ ofer minne deg :· ⁊ ic ge-an Ægwinæ minum Geferan þara iiii. hida æt Ðeð-ham ofer minunne deg. swa hit on ealð dagum ge-stod :· ⁊ ic ge-an Briht-wolde minüm Cnihtæ þara tregra hida on Dunning-lande ofer minne dæg :· ⁊ ic an Ælfwolde minum Preoste twægra hida on Dunning-lande ofer minne deg :· ⁊ ic ge-an Æþelmære minum Præoste twægra hida on Dynning-landæ ofær minne dæg :· ⁊ ic gæ-an Ælfgæate minum megæ tregra hida on Dunning-lande ofar minnæ dæg :· ⁊ ic gæ-an ðæs landæs æt Wealdinga-fælda Crawa mira magan ouær minnæ dæg :· ⁊ ic wille ꝥ man frigæ hæalue mine men on elcum tune for mine saulæ. ⁊ ꝥ man dele æal healf ꝥ yrue ꝥ ic hæbbæ on ælcum tune for mire saule :·

VERSIO.

VERSIO.

HOc eſt Æthelfledæ Teſtamentum. Scilicet, Imprimis do Domino meo * [*Regi*] terram illam jacentem in *Lamburna*, & illam in *Ceolſiga*', & *Redinga*, & quatuor Corollas, quæ bis centum Mancuſas auri pendent, & quatuor † Aulæa Coccinea, & quatuor Scyphos, & quatuor Pateras, &

* *Regi* additum eſt, quòd apud A. S. conſenſus Regius iis teſtatoribus opus eſſet, qui terras beneficiarias legabant, ut teſtamenta ſua valerent. Vid. *Hickeſii* Diſſert. Epiſt. p. 60, 61.

† Multum ambigo de ſenſu vocis Pæll. *Olaus Verelius* in Indice ſuo veteris linguæ Goth. reddit Pell per *textum pretioſum*. *Gudmundus Andreas* in Lexico ſuo Iſlandico interpretatur Pell per *Coccinum*, *Aulæum*. Significat etiam *Pallium* apud A. Saxones, ut Miꝺ pælle ᵹeſcꞃiꝺ, *palliatus*, Gr. Ælfr. Sumitur etiam pro ꞇælhᵹ, quod coccineam vel purpuream tincturam ſignificat. Bed. Eccl. Hiſt. lib. I. cap. I. ſignificat etiam aliquid ex purpureo texto factum. Ego per *Aulæa* tranſtuli, quæ rebus geſtis ſui conjugis vel alterius alicujus Ducis intertexta, vel depicta fuiſſe cenſeo. Vid. Hiſt. Elienſis, lib. ii. cap. vii. inter XV ſcriptores à *Th. Gale* editos, M DC XCI.

quatuor

quatuor Mannos, & * Dominum meum *Auguſtiſſimum* pro ſuo in Deum amore obteſtor, ut Teſtamentum hoc meum ratum habeat; nam Deum teſtor me nullum aliud feciſſe. Do etiam fundum meum, qui jacet in *Domerhamio* Monaſterio Glaſconienſi, quum pro Edmundi R. animæ ſalute, tum pro Eadgari R. animæ ſalute, tum etiam pro ſalute animæ meæ. Do etiam prædium meum jacens in † *Hammio* Eccleſiæ Chriſti Cantwarenſi, ut precationes fiant pro Eadmundi R. anima, & pro mea. Præterea tellurem illam

* Leof, vel Leofa, eſt honoris appellatio, qua inferiores ſuperiores apud A. S. affari ſolebant, ut Diſcipulus Magiſtrum, Monachus Abbatem, Servus Dominum, Subditus Regem. Quam ob cauſam Leouan tranſtuli *Auguſtiſſimum*.

† In *evident*. Eccl. Chriſti Cant. apud X ſcrip. Col. 2222. Anno Dom. incarn. DCCCCCXXXIV. Ego *Egylfleda* (lege *Ethylfleda*) concedo Eccleſiæ Chriſti in Dorobernia, annuente Domino meo *Eadmundo*, terram juris mei in Southſeran nomine Hamme. Sic in Monaſtico Anglicano 1 Vol. p. 20. b. Anno Dom. DCCCCXXXIV. Ælfleda dedit Hamme Eccleſiæ Chriſti Cantuar.

in *Wuduhamio* jacentem do Beorht-notho Comiti, & Sorori meæ, ab iis habendam durante illorum, vel alterius illorum vita; iis verò ambo-bus mortuis, illam do Eccleſiæ S. *Ma-riæ* * Byorcingenſi. Do etiam fun-dum illum in *Hedhamio* jacentem Beorhtnotho Comiti, & Sorori meæ, dum vixerint; ſed poſtquam ambo è vita diſceſſerint, do illum Eccleſiæ *Paulinæ* ad alendam † Epiſcopi dome-ſticam

* De hoc celeberrimo Monaſterio Beda Eccl. Hiſt. lib. iv. cap. vi. vii.

† *Ham* Saxonicum, Dano-Saxonice *hame*, *hame*, I. ſignificat *domum*, *habitaculum*, *ſedem*, *domicilium*. In quo ſenſu ꞇo Biꞅcophamæ poteſt haud inep-tè reddi, *ad epiſcopi ædes ſuſtentandas*. II. Meto-nymice ſignificet *rem*, vel *familiam domeſticam*, in quo ſenſu tranſtuli ꞇo Biꞅcophamæ, *ad alen-dam Epiſcopi domeſticam familiam*. III. Nam, ut hiꞃeꝺ *familia*, ſpeciatim ſignificat *familiam religioſam* alicujus ſacri inſtituti, vel monaſterium, ſic in Bedæ Hiſt. Eccl. lib. ii. cap. xvi. Abbuꝺ oꝼ peoꞃꞇa-neā þam ham, *Abbas de Monaſterio Peortaneu.* In quo ſenſu ꞇo Biꞅcophamæ verti poteſt *ad ſuſtentandam Epiſcopi ſacram familiam*, hoc eſt, *Cle-ricos Paulinos*, ut qui Epiſcopi Londinenſis religioſa familia

ſticam familiam. Do item terram illam *Dictunæ* jacentem S. Ætheldrythæ Elienſi, & ejus monialibus conſororibus; Do etiam duo illa prædia in *Cobbanfeldea*, & * *Ceorleſweortho* Beorhtnotho Comiti, & Sorori meæ, quamdiu vixerint illis fruenda; iis vero ambobus mortuis, do illa S. Eadmundi loco ſepulchrali, ad ſuſtentandos Clericos, qui *Sancti* corpus in

---

familia erant; nam antiquitùs Epiſcopi, tanquam patres familiarum, monaſteriis præfuerunt. Verùm quo minus ita to Biſcop-hamæ verterem, obſtat diſtinctio, quæ in *Ægelfledæ* teſtamento occurrit inter to Biſcop-hame & into Pauleſ Mynſtre. Porro *Ham* Dano-Saxonicè ſignificat veſtem, vel veſtitum, à veteri Gothico Hamur, quod *induvias*, & per Synechdochen quodlibet corporis indumentum, & tegumentum denotat, ut *Hickeſius* in Gram. Anglo-Sax. cap. xxi. p. iii. In hoc igitur ſenſu to Biſcop-hamæ forſan haud male verti poteſt *ad ſuppeditandos pontificales Epiſcopi habitus*; & ſi quis ita transferendum contendat, equidem non repugnabo.

* Ceorleſweorþe, vel Ceorleſwyrþe, vii. manſas continens, Æthelfledæ dedit *Eadgarus* R. ut illius charta, quæ ſequitur, oſtendit.

Eccleſia

Eccleſia S. Mariæ apud * *Byderiches* Villam cuſtodiunt. Do quoque terram meam in *Fingingrabo* Beorhtnotho Comiti, & Sorori meæ, omnes dies vitæ ſuæ; poſtea verò quàm uterque diem ſuum obierit, do illam Eccleſiæ S. Petri apud *Myres-igam*. Itidem do terram meam apud *Polſtedam* Beorhtnotho Comiti, & Sorori meæ, omnes dies vitæ ſuæ; illis verò defunctis, do illam in uſum ſacri ſepulturæ loci apud *Stocam*,

---

* Oppidum, quod nunc à S. Eadmundo R. *Edmundiburgi* nomen habet, cùm teſtaretur Æthelfleda, *Bidericeſworth*, vel *Bedriceſworth*, i. e. *Bedrices* Villa, nuncupabatur. Scribitur etiam *Beodriceſworth*, de quo *Matth. Weſt.* in Villa Regia, quæ lingua Anglorum *Beodrickeſworth*, Latinè *Beodrici* curtis, ſive habitatio nominatur. Qui de hoc loco, & de tranſlatione in illum S. Eadmundi corporis, & ut in ingens Monaſterium emicuit, plura ſcire vult, conſulat *Monaſtici* Anglicani, 1 Vol. p. 285, 286, 287, 291. Perperam ergo ille, qui *Bidericeſworth* transferendum duxit, quaſi ſcriptum eſſet biðe ꞃiceꞅ ƿeoꞃꞇhe, *ut maneat regionis dignitas*.

† in quo majores mei conduntur. A morte etiam mea do terram meam quæ eſt in *Hwiferſca* † ſacro ſepulturæ loco apud Stocam ; & terram meam apud *Strætfordam* jacentem, do itidem Beortnotho Comiti, & Sorori meæ, quamdiu vixerint ; dies vero ſuos ſupremos poſtquam obierint, do illam ſacro ſepulturæ loco apud *Stocam*. Volo etiam ut, mortuis Comite, & Sorore mea, Villa mea de *Lavenham* deſcendat ad ſacrum ſepulturæ locum apud *Stocam*. Porro Comite, & Sorore mea, vita functis, do prædium meum *Bylygeſdunenſe* ſacro ſepulturæ loco apud

† Quòd majores *Æthelfleda*, & *Ægelfleda*, apud locum *Stocam* dictum humati ſunt, oſtendit iſtud in Teſtamento *Ægelfleda* Brihtnothi viduæ anꝺ þæ leoꝼ æaꝺmoꝺlice biꝺꝺe ꝥ þu amunꝺie þa halᵹan ꞅꞇoꞃæ æꞇ Sꞇocæ þæ mine ylꝺꞃan onꞃeꞅꞇaþ. *Suppliciter te, Auguſtiſſime Domine, rogo, ut ſacrum locum in* Stoca, *ubi majores mei dormiunt, incolumem tutari velis.* Hujus nominis multi loci ob ſanctitatem celebres fuerunt in Anglia, ut 𝔖𝔱𝔬𝔨𝔢, qui nunc vocatur 𝔖𝔱𝔬𝔨𝔢𝔠𝔩𝔞𝔯𝔢 in agro Suffolcienſi, qui forſan locus eſt, ubi *Æthelfleda* majores humati ſunt.

Stocum. Denique terras meas apud *Peltandunum*, & in * *Myreſiga* jacentes, & apud *Grenſtedam*, finita vita mea, & finita vita Beortnothi Comitis, Sororiſque meæ, do in uſum ſa-ſacri ſepulturæ loci apud *Stocam.* Do etiam terram meam in *Ylme-Setona* Beorhtnotho Comiti, & Sorori meæ, quamdiu vixerint; mortuis verò iis, do illam S. *Eadmundi* Cœnobio. Præterea ſingularem iſtam Hidam apud *Thorpam* do Cœnobio † *Hedlegenſi* pro meæ ſalute animæ, & me vita tandem functa, do illam, ut pro majorum meorum animabus, qui *Stocæ* ſepeliuntur, Deo preces fiant. A morte etiam mea do Decem

* Myreſ-iᵹa, in ultima voluntate *Ælfledæ* Myreſ-ie, ut nomen denotat, locus inſularis eſt, omni ferè procul dubio parva inſula illa in oſtio *Colnæ* fluminis in *Eſſexia* ſita, Merſey vocata, in qua duæ villæ, quarum altera Eaſt-Merſey, altera Weſt-Merſey nomen habet.

† Vid. Evidens. Eccl. Chriſti Cant. inter x Script. p. 2222. col. 2. *Ego Ælfleda*, &c. ubi ut vulgo Elfleda, pro Æthelfleda.

illas

illas Hidas apud *Wicfordam* cognato meo Sibrihto. A tempore etiam mortis meæ do quatuor illas Hidas apud *Hedhamium* Ægwino diſpenſatori meo. Finita etiam vita mea, do famulo meo Brihtwoldo, duas Hidas in *Dunninglanda*, ſicut in antiquo ſuo ſtatu fuerunt. A termino etiam vitæ meæ do Alfwoldo ſacerdoti meo ſacellano Duas Hidas prædii *Dunninglandenſis*. Item Æthelmero ſacerdoti meo ſacellano a vitæ meæ termino do duas Hidas prædii *Dunninglandenſis*. Itidem a tempore mortis meæ do Ælfgæato cognato meo Duas Hidas prædii *Dunninglandenſis*; & Crawæ meæ cognatæ a morte mea do etiam tellurem in *Wealdinga-Falda*. Denique volo, ut prædialium ſervorum meorum pars altera pro ſalute animæ meæ in ſingulis villis manumittantur; & ut bonorum meorum, quæ in unaquaque Villa habeo, dimidium pro ſalute animæ meæ pauperibus diſtribuetur.

TESTAMENTUM ÆLFLEDÆ,

SEU

ÆGELFLEDÆ, Viduæ *Brihtnothi* Ducis Orient. Anglorum;

Qui in * prælio cum Danis commiſſo juxta *Meldunum* ſtrenuè pugnans occubuit. An. Dom. 991.

ÆLfræd gæsƿẏtelaþ on þis Geƿrite hu hæo ƿile. habban gefadad hiræ æhta for Gode ⁊ for Ƿoruldæ:· Ærest ꝥ ic an minum hlaforde þara viii. landa æfter minum dege. ꝥ is erest æt Douor-cortæ. ⁊ æt Fulan-ƿettæ. ⁊ æt Æles-forda. ⁊ æt Stan-ƿægun. ⁊ æt Bẏræ-tune. ⁊ æt

* Symeon Dunelm. Hiſt. apud x. Scriptores. col. 162. & Chron. Sax. Anno DCCCCXCI.

Læxa-

Lexadyne. ⁊ æt Ylmesætun. ⁊ æt Bucys-healæ. ⁊ tƿægra Bæha on tƿegra punda geƿrihte. ⁊ tƿa Sop-cuppan. ⁊ an sæol-fran Fæt :· ⁊ þæ leof æadmolice bidde for Godes luuan. ⁊ for mines Hlafordes saƿle lupan. ꝥ þu amundie þa halgan stoƿæ et Stocæ þæ mine Yldran on-reƿtaþ. ⁊ þa are þæ hider † in-sæadon a to-freog on Godæs-rihte : ꝥ is þonno ꝥ ic ge-an æal sƿa mine Yldran hir er gæ-uþan. ꝥ is þonne ꝥ land æt Stoce into þerœ halagan stoƿæ. ⁊ æal ꝥ ꝥ þer to tunæ gæ-hyrð. ⁊ þonæ puda æt Hæþ-fælda þæ min sƿystar gæ-uþæ. ⁊ mine yldran :· Ðonne synd þis þa land þæ minæ yldran þær-to bæ-cƿædon ofær minne sƿystor-dæg. ⁊ ofær minne. ꝥ is þonne Stred-fordæ. ⁊ Fresan-tun. ⁊ Wisƿyþe-tun. ⁊ Lauan-ham. ⁊ Bylies-dyne. ⁊ Pols-tyde. ⁊ Wifer-myrsc. ⁊ Græn-styde. ⁊ Peltan-dune. ⁊ Myræs-egæ. ⁊ ꝥ Wudæ-land æt Totham þæ min fæder ge-uþæ

† Insæadon hic mendoſe ſcriptum ſuſpicor pro insealdon, *dederunt*, vel Dano-Saxonice eſſe ſcriptum pro insædon, *nuncupavere verbis*, vel *verbis nuncupatis devoverunt*. Ubi notandum eſt, þider insealdon, vel þider insædon idem valere ac sealdon þider in, sædon þiðer ir.

into Myres-ia. ⁊ Colne. ⁊ Tigan; Donne synd þis þa land þe mine Yldran be-cwæðon into oþrum halgum stowum. Þ is þonne into Cant-wara-byrig to Cris-tes-cyrcan þan Hired to brece. þes landes æt Illan-lege :· ⁊ into Paules Mynstre into Lundene. þes landes æt Heð-ham to Biscop-hame :· ⁊ þes landes æt Tropelding-tune þan Hirede to brece into Paules Mynstre :· ⁊ into Beor-cingan þam Hirede to brece þes landes æt Babbing-þyrnan :· ⁊ ic ge-an Ælf-þræde mines Hlauordes meðden Pudu-hames æfter minum dæge. ⁊ æfter hire dege gange hit into Sca Marian-stowe into Beorcingan. eal-swa hit stent, mid mete ⁊ mid mannum ; ⁊ ic ge-an into Sce Eadmunde þara tregra landa Coorles-weorþe ⁊ Cochim-felde, þam Hirede to brece. eal-swa mine yl-dran hit er ge-uþan. ⁊ þær landes æt Hrydinge æftær Crawan dege minræ magan :· ⁊ ic ge-an into Myres-ie æf-ter minum dæge eal swa min Hlafond ⁊ min swester ge-uþhan. Þ is Fingingra-ho. ⁊ þara six hida þe Þ Mynstær on stænt ; ⁊ ic ge-an efter Crawan dege þær landes æt Peadinga-felda into Suð-byrig to Scæ Gregoriæ eal-swa min

swæstar

swestar hit ær for æ wyrðe ; ⁊ ic ge-an
into Ælig Scæ Petre. ⁊ Scæ Æþelþryþe.
⁊ Sce Wihtburhe. ⁊ Sce Sexburhe. ⁊ Sce
Æormenhilde. þer mines hlafordes li-
choma rest þara þreo landa þe Prebutan
ge-heotan Gode ⁊ his halgan þ is æt Ret-
tendune þe wes min morgan gyfu. ⁊ æt
Dæg-ham. ⁊ æt Dictune. eal swa min
hlaford ⁊ min swæstar hit er ge-uþan.
⁊ þara anre hide æt Cearle þe min swys-
tar be-geat. ⁊ þes Bæaliges ge-macan
þe man sæalde minum hlaforde to sawle-
sceatte :. ⁊ ic ge-an Æðelmaþæ Eal-
dorman þes landes æt Lællinge ofer
mine deg. mid mete. ⁊ mid mannum eal
swa hit stent. on þe ge-rad þ he beo on
minum life min fulla-freond. ⁊ fore-
spreca. ⁊ mina manna. ⁊ after minum
dege. beo þara halgan stope. ⁊ þera
are ful-freod. ⁊ fore-spreca æt Stoce
þe mine yldran on-restaþ :. ⁊ ic ge-an
þes landes æt Lissing-tune Eðelmere
mines [hlafordes] meg mid mete ⁊ mid
mannum. eal-swa hit stent. ⁊ hine ead-
modlice. bidde þ he min fulla-freod. ⁊
min [speli] end beo on minum dege. ⁊
efter minum degee gefelste þ min
Cwide ⁊ mina yldran standan mote ;
Ðis sind þa Land-mearca to Byliges-

dyne,

dýre. of ða burnan æt Humel-cýrre. ⁊ fra Humel-cýrre Heregeres-heafode :· Fram Heregeres heafode æftær ðam ealdan hege to ðare Grene æt. þonne forð ꝥ hic cýmð to þare stan-stræte. of þare stan-stræte ⁊-lang Scrýbbe ꝥ hit cýmð to Acan-tune. fram Acýn-tune hit cýmð to Rigen-dune. fram Rigin-duue æft to þara burnan, ⁊ þær is landes fif hida :· Ðis sind þa land ge-mæra to Hwifer-mirsce ⁊ to Polestede :. Of Loppandýne to Scelf-leage. fram Leage to Mercýl. ⁊-lang Mercýle into Sture. ⁊-lang Sture to Leof-mannes ge-mære. ⁊-lang Leof-mannes gæ-mære to Amalburnan. fram Amalburnan to Norð-felda. ðonne ford to Biad-hæcce. fram Biad-hæcce to Tudan-hæcce. fram Tudan-hæcce to Giddincg-forda. fram Giddin-forda to Hunt-stede. fram Huntstede to Hwit-incg-ho. fram Hwit-ing-ho to Wude-mannes-tune. fram Wude-mannes-tune to Cæres-ige-gæ-mære. fram Cæres-ige-gæ-mære to Hæd-leage-ge-mære. fram Hæd-leage-ge-mære to Hlig-ham-ge-mære. fram Hlig-ham-ge-mæræ eft to Loppan-dýne :· To Hwyfer-mirsces landes——

VERSIO.

VERSIO.

DEclarat in hoc ſcripto *Ægelfleda* quomodo in ſacros, & ſeculares uſus, poſſeſſiones ſuas diſponendas eſſe ſtatuit. Imprimis declaro, quod poſt obitum meum do Domino meo [Regi] octo illa prædia, quorum nimirum unum jacet in *Dovor-corta*, alterum apud *Fulanpettam*, tertium apud *Ælesfordam*, quartum apud *Stanwægam*, quintum in *Byrætuna*, ſextum apud *Læxædunum*, ſeptimum in *Ylme-ſætuna*, octavum apud *Byciſhæaalam*, cum duabus corollis, quæ duas libras pendent, & duos catinos pulmentarios, & vaſum unum argenteum. Et pro tuo in Deum amore, & pro amore quem habes quum pro Domini [Mariti] mei, tum pro Sororis meæ anima, ſupplex te rogo, *Auguſtiſſime Princeps*, ut tutari, & incolumem ſervare digneris locum

illum

illum ſacrum apud *Stocam*, in quo majores mei quieſcunt, ut & poſſeſſiones, quas, ut jure divino liberæ [*Sanctæ, inviolatæ*] ſemper forent, ſacro ritu devotas eidem donaverunt. Quapropter omne id pariter dono quod majores mei pridem loco illi ſacro dederunt: Scilicet, omnem illam terram in *Stoca* jacentem, & quicquid ad villam illam ſpectat, & ſylvam illam *Hæthfeldenſem*, quam ſoror mea, & majores mei eidem donaverunt. Præterea hæc prædia ſunt, quæ poſt mei, poſtque ſororis meæ obitum majores mei eidem legaveruut: Videlicet, *Stratford*, & *Freſantuu*, & *Wiſwithetun*, & *Lavanham*, & *Byliſdyne*, & *Polſtyde*, & *Wiſer-myrſc*, & *Granſtyde*, & *Peltandun*, & *Myreſigie*, & ſaltum illum apud *Totham*, quem pater meus dedit Myreſigenſi Eccleſiæ, & Colne, & Tigan. Præterea hæ ſunt terræ, quas majores mei aliis locis ſacris legaverunt: Scilicet, terram apud *Illanglegam* in uſum Mo-

naſterii

naſterii Eccleſiæ Chriſti Cantwarenſis, & terram in *Hed-hamio* jacentem Eccleſiæ Paulinæ Londinenſi, ad alendam Epiſcopi domeſticam familiam, & terram apud *Tidweldingtun* do in Paulini Monaſterii familiæ beneficium, & terram apud *Babbing-thyrnum* in uſum Monaſterii *Beorcingenſis*. Porro poſt obitum meum do *Wuduhamium* Domini mei matri *Ælfthrædæ*, & poſt obitum ejus, volo ut tranſeat in ſtatu quo jam nunc eſt cum cibariorum reditibus, & ſervis glebæ adſcriptitiis, in S. *Mariæ* monaſterium, quod * *Beorcingæ* eſt. Do etiam duo illa prædia *Ceorlesworthe*, & *Cochanfelde*, ſicut majores mei tum olim conſtituerunt, in S. Eadmundi familiæ beneficium, ut & terram apud *Hnyddingam* poſt obitum Crawæ cognatæ meæ. Quinetiam do *Fingingra-ho*, & ſex illas Hidas, ubi conſtructum eſt monaſte-

* Nunc Barking in Com. Eſſex.

rium,

rium, poſt obitum meum Eccleſiæ S. Petri Myreſigenſis, quemadmodum Dominus meus [Maritus] & Soror mea illas olim donaverunt. Do etiam poſt obitum Crawæ terram apud *Weadinga-Feldam* Eccleſiæ S. *Gregorii Suthbyrigenſis*, quemadmodum Soror mea moribunda illam prius dedit. Præterea tres illas terras *Prebuta* dictas, quæ jacent apud *Rettendunum*, quod donum meum † *Morgenaticum* erat, & apud *Segham*, &

---

† De dono Morgenatico vide quæ exſcripſit *Hickeſius* in præfationis de opere ſuo ad *Ad. Otteley*, p. 9, 10. quibus accedant, quæ *Juſtus Georg. Schottelius* in operis ſui de Lingua Germanica lib. ii. cap. 12. p. 453. Morgengabe (matutinum donum, quod poſt primam noctem novæ nuptæ datur) Morgengap, & Morgengaf. Hinc [apud Germanos] matrimonium ad Morgengaticam, i. e. minus juſtum.——Male ſcribitur ad Morganaticam in feudis Grot. in Got. Lindebr. in Gloſſar. voce Morgengeba. Morgengab eſt pretium Virginitatis.——Aliàs vocatur Sponſalitia Largitas,——Donatio propter nuptias, quæ plerunque dotem æquare ſolet. Id genus Donationem Codiciliarem Saxonicè ſcriptam, p. 76. Diſſertat. Epiſtolaris quam ſcripſit *Hickeſius* de antiquæ literaturæ Septentr. utilitate videre licet; & in Appendice ad Somneri tract. *of Gavelkind*. Hujuſ-

& apud *Dictune*; quemadmodum Dominus meus & Soror mea illas olim dederunt, & ſingularem illam Hidam in *Ceaſte* quam Soror mea acquiſivit, ut & [*pretioſum*] coroniforme opus illud, quod pro † ſepulchrali donario Domini

---

Hujuſmodi Donatio propter Nuptias apud veteres Iſlandos vocata eſt Lynſie, hoc eſt, concubitus præmium, quod imminutæ ſponſæ ſponſus dare convenerat. Vid. *Edd. Iſlandorum* Myth. lxxii, & lxxiv. Vocatur autem apud Germanos Morgengaf, & Saxonicè Ꝺoꞃȝen-ȝıfu, *donum* ſcilicet *matutinum*, quod tales donationes propter nuptias, etſi conventionales, vim ſuam tamen non ſortitæ ſunt, vel nuptiis celebratis, niſi mane poſt ſponſi cum ſponſa concubitum. Vid. etiam *Stiernhooki de jure Sueonum* l. 2. c. 1.

† *Sepulchralis oblatio* ad adjuvandam animam defuncti, erat quid ex ejus bonis, ſive pecunia, ſive res aliqua mobilis, & *Sepulchralis* dicitur, quod vel effoſſo ſepulchro, vel tempore ſepulturæ, Sacerdoti vel Eccleſiæ dari ſolebat in defuncti animæ ſalutem, ut conſtat ex LL. Canuti Eccl. 13. Anꝺ ſaƿl-ſceat ıſ ꞃıhtæſt, *&c.* *Symbolum pro anima ſoluta id juſtiſſimum eſt, quod effoſſo tumulo offertur.* —ȝælaſte man þone ſaƿl-ſceat ınto þam mynſtꞃe þe hıt to hyꞃðe. *Solvatur pro anima ſymbolum Eccleſiæ ad quam pertinet.* Vid. *Somneri* Lexicon Sax. in ſaƿl-ſceat, & ejuſdem Gloſſarium ad finem x. ſcript. in *pecunia ſepulturæ.* Hic autem

Domini [*Mariti*] mei oblatum erat, do Eccleſiæ S. Petri Elienſis, Eccleſiæ S. * *Ætheldrythæ*, & Eccleſiæ S. Wihtburgæ, & Eccleſiæ S. Sexburgæ, & Eccleſiæ S. Æormenhildæ, in qua Domini mei corpus requieſcit. Porro poſt obitum meum terram illam jacentem apud *Lellingum* in quo ſtatu nunc eſt, cum cibariorum reditibus & ſervis, do Æthelmero Comiti, ea

autem notandum eſt, *Ælfledam* apud ſe ſervaſſe, dum marito ſupereſſet, pretioſum donarium, quod pro anima ejus Eccleſiæ S. *Æormenhildæ* obtulerat.

* De Sancta *Ætheldrytha*, & *Sexburga*, regiis Sororibus, & illarum ſanctitate, Beda in Hiſt. Eccl. lib. iv. cap. 19. De Æormenhilda Erconberhti R. Cantii, & S. Sexburgæ filia, & illius virtutibus *Joh. Bromton* inter x. ſcript. col. 772, 773. & *W. Thorn.* ibid. col. 1908. De Ætheldrytha, Sexburga, & Withburga, ſecundum quoſdam, illarum ſorore, & ut ejus corpus a Derham in Com. Norfolc. ad Elienſe Monaſterium tranſlatum eſt, *Joh. Bromton* ibid. col. 747, 748. De his Sanctis etiam vide quæ *Saxonice* ab incerto auctore ſcripta ſunt cum Latina verſione Cl. Viri *Gulielmi Hopkins* S.T.P. non ita pridem Eccleſiæ Wigorn. Canonici in p. 116. Differt Epiſtolaris de antiquæ literaturæ Septentrionalis utilitate, quam ſcripſit *Hickeſius* ad *Barth. Showere* Equitem Auratum, & non ita pridem apud nos Cauſidicum celeberrimum.

vero

verò lege, ut quàmdiu vixero, ſe præſtet, & mei, & meórum defenſatorem & patronum, & poſt obitum meum, defenſatorem & patronum Sancti illius loci *Stocenſis*, ubi majores mei dormiunt, ut & terrarum illarum quæ ad illum pertinent. Denique terram illam, quæ jacet apud *Liſſingtunam* in quo ſtatu eſt, cum cibariorum reditibus, & adſcriptitiis glebæ ſervis, do Æthelmero Domini mei Cognato, ſuppliciter illum rogans, ut durante vita mea, velit eſſe defenſator, & procurator meus, † & me mortua

† Solennia hæc verba, ⁊ hine eaðmoðelice biðð ꝥ he efter minum ðege gæfelste ꝥ mine cƿiðe, ⁊ minra ẏlðra stanðan mote, *& ſuppliciter illum rogo, ut, me mortua, illius adjumento valeant teſtamentum meum, & teſtamenta majorum meorum*, ad teſtamentarium executorem, quem vocamus, aliquantum ſpectare videntur. Sed formulam illam verborum nihil minus ſignificare probant: iſta in teſtamento *Ethelſtani* filii R. *Ethelredi*, in appendice ad *Gul. Somneri* tractatum Anglicè inſcriptum **of Gavelkind**; Nu biððe ic alle þe ƿẏten þe mine quẏðe gehẏreð reðe eẏ-

ðer

mortua, ut illius adjumento, valeant teſtamentum meum, & teſtamenta majorum meorum. Hæ autem ſunt terrarum limites, &c.

ðeꞃ gehoðeðe ⁊ leƿeðe þet hi ben on fultume ꝥ mẏ Cƿẏðæ ſtent. *Rogo omnes ſapientes, ſive Cleri, ſive populi, qui* [ut teſtes] *teſtamentum meum, dum legeretur, audiverunt, ut, iis adjuvantibus, teſtamentum idem meum valeat.*

CHARTA

CHARTA
**EADGARI* R.
Qua Ceorleſweorth dedit Æthelfledæ.

Hæc etiam Carta deſcripta eſt è vetuſtis Membranis Bibliothecæ Harleyanæ, *in qua tanquam in Gazophylacio* decies mille *Chartæ, ordine temporis digeſtæ ſervantur.*

Almus totius coſmi fabricæ conditor ſumma infimaque miro ineffabilique ordine collocans hominem tantundem quadriformi plaſmatum materia ſcō ad ſui ſimilitudinem in ſpiratum flamine cunctiſque in infimis creaverat uno probandi cauſa excepto vetitoque preci-

* In Regeſti MS. Abbatiæ S. Eadmundi de Burgo dicti Werketone, quod in Bibliotheca *Harley-*

preficiens paradiſiacæ iocunditatis amenitate, cum ſua coniuge luculentiſſime conſtituit. Qui, pro dolor! demoniaco inſtinctus ſpiramine, ſibi ac poſteris in hoc erumpnoſo deiectus ſæculo mortem promeruit perpetuam. Quamobrem ego EADGAR totius Brittanniæ gubernator et rector cuidam matrone cui uocabulum certa aſtipulatione profertur ÆÐELFLÆD quandam telluris particulam, vii videlicet manſas liberaliter in æternam tribuo poſſeſſionem illo in loco ubi a ruricolis uulgariter CEORLESƿYRÐE profla-

ana notatur, 42. B. 8. fol. 118. enumerantur Chartæ, quibus eidem Abbatiæ terræ dantur, aut confirmantur, & inter alia hæc verba ſic ſcripta leguntur: *Eadgarus dedit Alflede, Cherleſworth, quæ poſtea dedit S. Eadmundo illum manerium cum Carta ejuſdem Regis, propria.* Eadem etiam verba leguntur in ejuſdem Bibliothecæ pretioſiſſ. MS. cujus nota 63. D. 6. fol. 219. Quinetiam in ejuſdem Cod. fol. 83. ubi Abbatiæ S. Eadmundi de Burgo benefactores recenſentur, Scriptor his verbis Ælfgari Comitis & Æthelflede memoriam poſteris commendare voluit: *Quidam Comes nomine Ælfgarus, conceſſit Sancto* [Eadmundo] Cokefelde *poſt mortem Aylfleda filia ſua. Quæ poſtea eandem terram cum alio manerio* Cherleſworth *eidem Sancto per ipſam Cartam, per quam Rex Eadgarus eandem ſayſiaverat, devote contulit.*

tum

tum est, cum omnibus ad eandem terram jure pertinentibus, pratis videlicet campis pascuis silvis et post suæ vitæ terminum hæredi cui voluerit derelinquat. Sit autem prædictum rus omni terrene servitutis jugo liberum tribus exceptis rata videlicet expeditione pontis arcisve restauratione. Si quis vero hanc nostram donationem in aliud quam constituimus transferre voluerit, sit ipse segregatus a consortio sc̄e Dei æcclesiæ nec non a communione omnium fidelium nisi prius hic ante obitum suum reus pœnituerit quod contra nostrum deliquit decretum. His metis rus hoc giratur.

ÐIS syndon þa land-gemæro to Ceoples-ƿyrðe: Of Caforda ⁊-lang Cyrses-burnan ꝥ hit cymð to Mannan-meance. þonne þanon ⁊-lang Ƿealc-hyrste forð be anan burnan ꝥ hit cymð eft on Mannan-meance ⁊ on Aran. þonne þanon ⁊-lang heges ꝥ hit cymð to arne dene. þonne swa forð ꝥ hit cymð on þone burnan þe scyt to Culan-fenne. þonne swa forð ⁊-lang þæs burnan ꝥ hit cymð to Opriðes-meance ⁊ Eadpoldes. þonne forð ⁊-lang heges

þe ſcyt of þam burnan þ hit cymð to ſtræte. ſwa forð ⁊-lang ſtræte þ hit cymð Inn on Mearcellan. þonne forð ⁊-lang Mearcellan þ hit cymð þær Erynn-burna ⁊ Mearcella ſceottað togædere. þonne forð ⁊-lang Erynn-burnan þ hit cymð eft in on Caforð.

Anno dominicæ incarnacionis dccccclxii. ſcripta eſt hæc carta his teſtibus conſentientibus, quorum inferius nomina notantur.

† Ego Eadgar Rex Anglorum conceſſi.
† Ego Dunſtan Archi Epſ corroboravi.
† Ego Oſcytel Archi Epſ confirmavi.
† Ego Oſulf Epſ conſolidavi.
† Ego Byrhtelm Epſ conſenſi.
† Ego Aþelwold Abb.
† Ego Ælfhere Dux.
† Ego Ælfheah Dux.
† Ego Æþelſtan Dux.
† Ego Aþelwold Dux.
† Ego Ælfgar M.
† Ego Ælfwine M.
† Ego Byrhtferð M.
† Ego Wulfhelm M.
† Ego Æþelwine M.

P. 60. *Res Nummaria* Anglo-Saxonum. *In eorum legibus varia nummorum, vel pecuniæ genera recenſentur*, Thrinſa, Mancuſa, Peningus, Sceata, Styca, *& ſimilia.. Horum valores determiuare conatur* Hickeſius, *rationeſque ſuas veterum auctorrm teſtimoniis ſuffultas ſupputat.*] Operæ pretium facturum Antiquitatum Septentrionalium ſtudioſum puto, ſi quæ ſcripſit Vir doctiſſimus *Joh. O. Stiernhook*, capite xii. libri i. * *de jure Sueonum, & Gothorum vetuſto*, de ſpeciebus, & ratione veteris monetæ Suecicæ, ad ea, quæ tradidit *Hickeſius* de re nummaria Anglo-Saxonum, adjungat.

P. 71. *Speciatim autem diſſerit de notabili illo Numiſmate, cujus inſcriptio ſic legitur*, Thurgut Luetis, *ut aliqui volunt, vel potius* Thurgut Luntis.]

De hoc *Thurguto*, ſic Cl: *Leibnitius*

* Vide *Hickeſii* teſtimonium, & Elogium hujus libri in p. xlii. de opere ſuo præfationis generalis.

in literis ſuis ad ſuum Andream Fountaine Gallicè ſcriptis : *Vous avez mis dans vôtre bel ourage la Medaille, ou il eſt parlé de* Thurgut *avec la deſcription, ou vous rapportez auſſi l'explication de* M. Kederus Suedois, *& de quelques autres. Voicy maintenant un paſſage de* DITMARUS *Eveque de* Merſebourg, *contemporain d'un General Danois nomine* THURGUT, *dont il parle, & qui pourroit bien eſtre celuy, dont parle vôtre Medaille. Vous obligerez extremement le Public, & particulierement vôtre païs en remontant des Medailles* Anglo-Saxones *aux* Brittaine-Romaines, *comme vous le faites eſperer.*

Ditmarus Epiſcopus Merſeburgenſis, lib. VII. *Hiſtor. Saxon.*

“ Anno dominicæ incarnationis
“ M.XVI. & in menſe Julio, præ-
“ dicti fratres Harald & Cnut, ac
“ cum Duce Suinnet (cum CCC. &
“ XL.

" XL. navibus) *Turguto* egreſſi, ur-
" bem quandam nomine *Lundinam*,
" ubi Regina, triſtis nece viri ſui-
" met, & defenſoris, cum filiis Ethel-
" ſteno & Ethmundo, & duobus E-
" piſcopis, cæteriſque primatibus,
" ſedebat, præſidio circumdant, &
" naves ſingulas LXXX. viros haben-
" tes per flumen, quod *Timiſi* voca-
" tur, ducentes, VI. menſes eandem
" impugnant. Regina autem tunc
" bello defatigata aſſiduo, nuncios
" miſit, qui ab eis pacem peterent,
" & quid ab eo poſcerent, diligenter
" inquirerent. Reſpondetur proti-
" nus ab his inexplendis hoſtibus, ſi
" Regina filios ſuos in mortem, ſe-
" que, cum XV.M. argenti ponderibus
" & Epiſcopos cum XII.M. & omni-
" bus loricis, quarum M.XX.IV. &
" numerus incredibilis erat, redi-
" mere, & ad hæc ſperanda trecen-
" tos obſides electos dare voluiſſet,
" ſibi tantùm ſociiſque ſuimet pacem
" cum vita adipiſci potuiſſet; ſin au-

" tem, omnes tum clamabant, eos
" uno gladio perituros. Venerabilis
" verò Regina cum ſuis hac legatione
" admodum turbata, poſt longam æ-
" ſtuantis animi deliberationem, ſe
" ſic facturam ſpoſpondit, & id cum
" prænominatis firmat militibus. In-
" terim confratres ſecundo noctis ſi-
" lentio in navicula præmiſſum eva-
" dentes periculum, quoſcunque po-
" terant ad defenſionem patriæ &
" ereptionem matris, hoſte adhuc
" ignorante, congregabant. Sed
" cum in una dierum *Thurgut*, pira-
" tarum Dux, ad depopulandos fines
" proximos cum multitudine egrede-
" retur, ex improviſo hoſtibus oc-
" currens, eos offendit, & ut eoſdem
" eminus aſpexit, ſocios exhortans
" viriliter adiit, & * occiderunt utri-
" que Ethmundus Rex, & Dux
" *Thurgut*, cum maximo ſociorum
" multitudine, & nec his neque a-

* Ceciderunt utrinque.

“ liis ulla ſpes optatæ venit victoriæ,
“ ſed vulnerati ſponte diſceſſerunt,
“ hoc ſolum gementes, quòd ſic for-
“ tuitis id accidit caſibus: nobis au-
“ tem ſcriptura prohibet, credere fa-
“ tum vel caſum aliquid eſſe. Dani
“ tunc quamvis imbecilles, ſocias ta-
“ men naves † viſitant, & intelli-
“ gentes, urbi ſolatium ab Ethelſta-
“ no ſuperſtite, & Britannis venien-
“ tibus afferri, truncatis obſidibus
“ fugiunt; & deſtruat eos atque
“ diſperdat protector in ſe ſperan-
“ tium Deus, ne unquam ſolito his
“ vel aliis noceant fidelibus. In e-
“ reptione civitatis illius gaudeamus,
“ & in cætero lugeamus. Percepi
“ quoque a relatu prædicti hominis
“ *Sewaldi* factum miſerabile, ac id-
“ circo memorabile, quòd cùm per-
“ fida Northmannorum manus, Duce
“ adhuc *Thurkilo*, Cantuariæ civita-
“ tis egregium Antiſtitem, *Dunſtan*

† Reviſunt.

“ nomine, cum cæteris caperet, &
“ vinculis & inedia ac ineffabili pœ-
“ na, more ſuo || nefando, conſtrin-
“ geret; Hic humana motus fragili-
“ tate, pecuniam eis promittit, &
“ ad hanc impetrandam inducias
“ * poſuit, ut ſi in his acceptabili
“ redemptione mortem momentane-
“ am evadere nequiviſſet, ſemetip-
“ ſum gemitibus crebris interim pur-
“ garet, hoſtiam domino vivam ad
“ immolandum. Tranſactis tunc
“ omnibus deſignatis temporibus,
“ vorax piratarum Charybdis domi-
“ ni famulum evocat, & ſibi pro-
“ miſſum celeriter perſolvi tributum
“ minaciter poſtulat. Et ille ut mi-
“ tis agnus: Præſto ſum, paratus ad
“ omnia, quæ in me nunc præſumi-
“ tis facere, Chriſti amore, ut ſuo-
“ rum merear fieri exemplum ſer-
“ vorum. Non ſum hodie turbatus,
“ quòd vobis mendax videar; non

|| Crudelitatis. * Poſcit.

mea

" mea voluntas, ſed dira effecit e-
" geſtas. Corpus hoc meum, quod
" in hoc exilio ſupra modum dilexi,
" vobis culpabile offero, & quod de
" eo faciatis, in veſtra eſſe poteſtate
" cognoſco; animam autem meimet
" peccatricem creatori omnium, vos
" non reſpicientem, ſupplex com-
" mitto. Talia loquentem profano-
" rum agmen vallavit, & diverſa
" hunc ad interficiendum arma con-
" gerit. Quod cùm eorum Dux
" *Thurkil* à longè vidiſſet, celeriter
" occurrens, ne quæſo ſic faciatis,
" *inſit*, aurum & argentum, & om-
" ne quod hic habeo, vel ullo modò
" acquirere poſſum, excepta navi ſo-
" la, ne in Chriſtum Domini pecce-
" tis, libenti animo vobis omnibus
" trado. Tam dulci affatu infrenata
" ſociorum ira, ferro & ſaxis durior,
" non mollitur, ſed effuſo innocenti
" ſanguine placatur, quem commu-
" niter capitibus boum, & imbribus
" lapidum, atque lignorum infuſione

" protinus effundunt. Inter tot fre-
" mentium impetus, & cœleſti ju-
" cunditate, ut ſigni ſequentis effica-
" cia protinus teſtatur. Unus nam-
" que inter primicerios membris af-
" fectus debilis, agnovit in ſemet-
" ipſo, quod deliquit in Chriſto e-
" lecto, ſicut ſcriptum eſt: *mihi vin-*
" *dictam, & ego retribuo, dicit Do-*
" *minus.* In hoc Chriſti athletæ tri-
" umpho miſeri ejuſdem perſecutores
" devicti, dominum & pecuniam à
" Duce ſuimet ſibi exhibitam, & ad
" ultimum, niſi reſipiſcant ſatisfa-
" cientes, perdiderunt animam, &
" ille cum ſtola, innocentia mentis
" & corporis hactenus dealbata, &
" tum rubro intincta ſanguine, divi-
" num placavit obtutum. Hunc in-
" terceſſorem nos peccatores precibus
" aſſiduis acquiramus, & apud maje-
" ſtatem divinam plurimùm valere
" credamus.

In

In iiſdem literis, quam vehementer optat Vir antiquæ literaturæ Septentrionalis faventiſſimus, ut quemadmodum in *Suecia*, ſic & in *Anglia* Collegium Antiquitatum fundetur, ex his conſtat: *J'eſtime extrement le deſſein de* M. Hickes, *& on l'y devroit aſſiſter* l'Angleterre *meriteroit un* Collegium Antiquitatum, *auſſi bien que la Suede.*

Hæc ille, quibus adjicere non alienum mihi videtur literas eruditione plenas, quas ad WILHELMUM WOTTONUM noſtrum Latine ſcriptas dedit.

Viro Celeberrimo WILHELMO WOTTONO *Godefridus Guilielmus Leibnitius* S.P.D.

" QUO minus Tecum aliiſque
" amicis hoc anno commer-
" cium literarium colerem, ut ſole-
" bam, perturbatio ingens fecit ex
" morte Reginæ Pruſſorum, quæ mi-
" hi favebat ultra ſpem votaque, vo-
" lebatque ut crebrò ſecum eſſem;
" ita fruebar ſæpè ſermonibus tantæ
" Principis, quâ neque ingenioſior
" neque humanior ulla unquam fuit;
" aſſuetoque huic ſuavitati publici
" luctûs ſenſus ex privatâ cauſâ acer-
" rimus fuit. Quando illa *Hanno-*
" *veræ* obiit, eram *Berolini*, quòd
" ſtatim ſequi non licuiſſet, nemoque
" ibi tam triſtem nuntium expecta-
" bat, eò acerbius percuſſi ſumus;
" Ego certè à periculoſo morbo pa-
" rùm

“ rùm abſui, meque ægrè collegi.
“ Erat enim incredibilis in Reginâ
“ & notitia rerum non obviarum,
“ & cupiditas noſcendarum, me-
“ cumque agitabat conſilia, quibus
“ Curioſitati ſuæ ſatisfaceret magis,
“ non mediocri aliquando in publi-
“ cum fructum, niſi mors intercepiſſet.
“ Sed hæc excuſandæ in ſcribendo
“ moræ meæ dicta ſunto.

“ Gratulari non Tibi magis quàm
“ nobis dudum debebam, quòd ex
“ funeſto Caſu ſalvus ſuperes. Peri-
“ clitabatur Tecum veteris novæque
“ doctrinæ Gazophylacium quoddam
“ & recentiorum pænè princeps *Boy-*
“ *lius*, qui per Te iterum vivet.
“ Unum petere audeo, ut quàndo
“ Tibi ejus ſchedæ creditæ ſunt, ex-
“ cerpi emittique cures, quicquid
“ vel paulùm memorabile videtur.
“ Nam non tantùm experimenta ipſe
“ ſumſerat multa, ſed & certatim ad
“ eum ferebant amici exterique res
“ notatu dignas. Et quantumvis fri-

" vola admiſcerentur collectaneis,
" non ideò facilè amittenda putem,
" quæ tantus Vir ſervanda putavit.
" Odi eorum ſeveritatem, qui multis
" nos præclaris rebus privant, dum
" nil niſi præclarum dare volunt.
" Quam multam enim ſpeciem,
" quam merentur, non habent; &
" ſæpe eventu compertum eſt, quæ
" pro nugis rejiculis habebantur, o-
" pinione præſtantiora fuiſſe. Me-
" mini olim adoleſcens, cùm pri-
" mum prodirent *Monconiſii* itinera-
" ria, & ex ſchedis excerpta poſthu-
" ma, improbari a quibuſdam ſedu-
" litatem edentis, qui & formulas
" chymicas, & minutorum, quæ vo-
" cant, ſecretorum deſcriptiones ſer-
" vaſſet, quòd ſcilicet quædam ina-
" nia interſperſa eſſent. Ego contra
" ſteti, gratiaſque deberi putavi pro
" fide & curâ. Utinam eandem no-
" bis gratiam facerent, qui *Boylianas*
" ſchedas in poteſtate habent. Ex
" opere ejus de uſu Philoſophiæ ex-
" perimentis

“ perimentis nixæ, aliiſque opuſcu-
“ lis apparet, multa indicâſſe potius
“ quàm explicuiſſe, quæ utinam ſup-
“ plerentur: nam quæ aliquando
“ Ratio ei ſilentium imperaverat,
“ (veluti promiſſum communicanti-
“ bus ſecretum, aliæque ſimiles)
“ nunc ceſſant.

“ Sed ad alia venio: audio *Flam-*
“ *ſtedium* veſtrum, Aſtronomum pri-
“ marium, multorum annorum Ob-
“ ſervationes editurum eſſe: gratu-
“ lor illi Angliæque, ubi ſunt qui
“ præclaris Conatibus favent. Apud
“ nos *Godefridus Kirchius*, vir non
“ indiligens, viginti quatuor & am-
“ plius annorum obſervationes ſtu-
“ dioſè annotavit; ſed non eſt qui
“ excitet juvetque pro Republicâ la-
“ borantem.

“ Gaudeo Tibi quoque linguarum
“ Septentrionalium Curam eſſe. Spes
“ eſt labores *Schilteri* & *Meieri* non
“ planè perituros; & quod ſuper-
“ ſunt, qui traditam Lampada pro-

" ferant. Sed pauca jam extant ſcrip-
" ta in hoc genere. Goldaſtus mul-
" tos Poetas Germanos habuit, qui
" ante quadringentos ferè annos ſcrip-
" ſere, ut ex *Parenaticis* ejus apparet,
" ſed pauca indè publicavit, nec dixit
" ubi tunc laterent. Nonnullos ta-
" men poſtea vidi. Profunt illi, ut
" connectant facilius antiquiora no-
" viſſimis, paulatimque linguæ mu-
" tatio, & veri vocabulorum ſenſus
" noſcantur. *Martinus Opitius*, vir
" doctrinâ ingenioque ſummus, qui
" primus Poëſin Germanicam ad alia-
" rum gentium laudem extulit, in
" Annonis Archiepiſcopi Colonienſis
" (qui undecimo ſeculo floruit) vi-
" tam à Poetâ antiquo, carmine Ger-
" manico ſcriptam notas dedit utiles.
" *Schottelius*, qui non parvo opere
" linguæ Germanicæ Grammaticam
" complexus eſt, multa habet profu-
" tura ad antiquitates Teutoniſmi
" noſcendas, idemque Scriptores
" citat.

" Dano-

" Danorum & Suionum & Nor-
" wagiorum dialectus antiqua apud
" Iſlandos utcunque ſupereſt: ſed
" non eſt quòd quis magis indè fon-
" tes Teutoniſmi petendos putet,
" quàm ex vetere Anglo-Saxonico,
" aut Alamannico, aut Francico ſer-
" mone, quanquam id viri docti ex
" Septentrione aliis perſuadere ve-
" lint jactantiùs, quàm veriùs. Ul-
" philæ dialectus, quæ eſt antiquiſſi-
" mum Teutoniſmi monumentum,
" non magis ad Septentrionales,
" quàm ad nos pertinet. Neque
" minus apud nos extant Septentrio-
" nalium vocabulorum radices (præ-
" ſertim ſi plebeia verba per agros &
" provincias Germaniæ ſparſa adjun-
" gas) quàm apud illos noſtrorum.
" Nec dubium puto, quin Scandina-
" vii Teutones colonia ſint Germano-
" rum Ciſmarinorum, qui olim per
" inſulas & freta tranſgreſſi, littora-
" lia & meliores terras occupavere,
" antiquis habitatoribus, *i. e.* Finno-

" Lapponibus in interiora pulſis. Etſi
" ſerius colonias in hanc Germa-
" niam ex Septentrione aliquando
" rediiſſe non negem. "

" Ut Anglos, Saxonum antiquo-
" rum, ita Cimmeros vel Cambros
" veſtros Cimbrorum hujus litteris
" noſtri, qui pars Celtarum, pro par-
" te certè colonias eſſe credo. Cel-
" tarum autem nomine, intelligo po-
" pulos ejus ſermonis, undè fluxit
" quicquid commune eſt Germanico
" & antiquo Gallico, quod in Walliâ
" veſtrâ & Cornubiâ, & Britanniâ
" Aremoricâ ſupereſt utcunque. Plu-
" rima enim in his reperio conve-
" nire cum Germanico, & appareret
" magis conſenſus, ſi antiqua noſtra
" magis ſciremus, ex quibus quàm
" multa perierint, paucula antiquæ
" linguæ fragmina probant. Porrè
" Hibernos crediderim profectos ex
" antiquis Britannis, & majoris ad-
" huc antiquitatis teſtes eſſe. Solent
" enim venire inſulanæ Gentes ex

" vicino

" vicino littore continentis, & fa-
" cilius in remotioribus locis anti-
" qua ſervantur. Ut igitur ex An-
" glis veſtris diſcunt noſtri Saxo-
" nes partem ſuarum Antiquita-
" tum; ita ex Britannis veſtris diſ-
" cimus nonnihil, quis ſermo Cim-
" brorum antè Saxones; & ex Hi-
" bernis, qui in Britanniâ fuerint
" ante hos Britannos; adeoque qui
" in Ciſmarino littore ante ipſos
" Cimbros.

" Magnâ voluptate legi, quæ de
" *Lhuydii* laboribus Celto-Britannis
" narras, *Lithologiam* ejus videre non
" memini. *Hickeſii* opus expecto a-
" vidè, & Domino *Andreæ Fontano*
" Equiti aliquot Anglo-Saxonicos
" nummos tranſmiſi ex Swarcebur-
" gici Comitis Muſæo ichthyocolla
" expreſſos, ſed non didici an ac-
" ceperit.

" In Slavonicâ linguâ multa
" ſunt communis originis cum Ger-

 manicis,

" manicis, nonnulla & cum Græ-
" cis; talia ego *Scythica* appello, ut
" quæ Latinis, Wallis, Germanis
" communia ſunt, *Celtica*; denique,
" quæ Wallis, Germanis, Slavis,
" *Celto-Cythica.*

" Video Cl. *Bernardum* aliosque in
" Slavonico aliquid Teutonico an-
" tiquius quæſiîſſe, neſcio an jure.
" Sæpe enim notavi Radicum ſignifi-
" cationes in Germanico melius noſci.
" Sed & Finno-lapponum magna
" Gens eſt, his *Aeſtii Liboneſque*
" nonnihil ſermone vicini. Vaſco-
" rum lingua me maximè perplexum
" habet, uſque adeò cæteris omnibus
" diſſidet Europæis. An ab Africâ
" olim in Hiſpaniam venit?

" Collectionem Hiſtoricorum ſub
" prælum miſi, quibus antiquitates
" *Brunſuicenſes* & *Ateſtinæ* (nam ex
" his eſt regnatrix hæc Familia) il-
" luſtrantur. Sed omnes ſcripti ſunt
" ante Reformationem, bona pars
" nondum

“ nondum prodierat. Nonnulli du-
“ runt non correctiores tantùm ex
“ codicibus, ſed & locupletiores.
“ Ita *Ditmari* Merſburgenſis Epiſcopi,
“ qui ſub Saxonibus Imperatoribus
“ floruit, multas paginas ſupplevi;
“ inſeretur Collectioni iſti Poëma
“ Germanicum ad Hiſtoriam Brun-
“ ſuicenſem pertinens, ſeculo decimo
“ quarto ſcriptum, & Leges antiquæ
“ Brunſuicenſium ex ſeculo decimo
“ tertio, ſimili ſermone, cujus plu-
“ rimum ſupereſt hodiè apud plebem
“ Saxoniæ inferioris.

“ In Germaniâ quædam prodeunt
“ Opuſcula non ſpernenda, ſed pauci
“ Libri inſignes juſtâ magnitudine.
“ Nuper Cl. *Braunius*, Theologus ce-
“ lebris apud *Groninganos*, luculen-
“ tum Commentarium in Epiſtolam
“ ad Hebræos ad me miſit. Cl. *Fa-*
“ *britius*, qui Hamburgi docet, Bib-
“ liothecæ Græcæ partem nuper edi-
“ dit; amplior erit Latinâ, quam

 “ Oxoniæ

" Oxonii recuſam videris: Vir eſt
" doctus ac diligens. Vale, & me
" Ama.

Dabam Hannoveriæ 10. *Julii*, 1705.

APPEN-

APPENDIX
AD
NOTAS.

Villarum, Oppidorum, Urbiumque, quæ in Æthelfledæ, *&* Ælfledæ *Teſtamentis memorantur, Nomina Alphabetico ordine diſpoſita, & topographicæ deſcriptiones, quatenus tabulis diligenter inſpectis, fieri potuerunt.*

ÆLeſforda. Nunc Alesford in Orientali parte *Eſſexiæ* haud ita longè à Colonia flumine in Hundreda de Tendring ſitum.

Beor-

Beoꞃcinga. Byoꞃcinga. Nunc **Ber-king**, vel **Barking**, juxta **Mord** in *Eſſexia*, olim ſacris virginibus ab *Er-kenwaldo* Epiſcopo Londinenſi ſa-cratum.

Biðeꞃiceſ-peoꞃðe. Byðeꞃicæſ-ƿyꞃðe. Nunc Urbecula à S. Edmundo Rege, & Martyre, ante multa ſecula *Edmun-di-Burgi*, Anglicè **St. Edmunds-bury**, nomen adepta.

Bucyſ-heale. **Burhall** in Hundreda de **Stow** comitatûs Suffolcienſis Villa.

Bẏlingeſ-ðune. Bẏlieſ-ðẏne. Forſan **Bilston** in Hundreda de **Coſford** *Suffolciæ* ſitum.

Cantpaꞃe-Bẏꞃig. Cantpaꞃa-Bẏꞃig. Do-robernia, **Canterbury**, Urbs Metro-politica totius Angliæ ſuis Archiepiſ-copis, Antiquitatibus, Sanctiſque cla-rior, quàm quæ deſcriptione indigeat.

Ceolꞃige. Forſan **Chelſey**, quod notius eſt, quam ut deſcriptionem poſcat.

i. ſed Choſeye com. Berk.

Cochan-ꝼelða. Cohan-ꝼelðæa. **Cock-feild** in Hundreda de **Baberge** *Suffol-ciæ* ſitum.

